BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
12 M
3/17

DE PROVIDENTIA EX SENTENTIA PLATONIS LIBER.

Vbi etiam de Ideis, et Dæmonibus accurate diſputatur.

AVCTORE
THOMA GIANINIO FERRARIENSI.

CVM PRIVILEGIO.

Coll. Rom. Cat. B.
Soc. Jesu Inscript.



BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

PATAVII,
APVD PAVLVM MEIETTVM.
M. D. LXXXVIII.

46 a 14*
46 a 13

14. 12. M. 3

ILLVST^MO AC REVEREND^MO

ALEXANDRO ESTENSI.

THOMAS GIANINIVS FELICITATEM.

Conſideranti mihi, ALEXANDER Ampliſſime, in cuius rei explicatione ingenij mei vires primum exercerem, atque multas, variasq; magnarum, pulcherrimarumq; rerum quæſtiones mihi ante oculos proponenti, prouidentia inprimis viſa eſt idonea, de qua quærerem, & digna, in qua diſpicienda multum ſtudii adhiberem, quid .n. prouidentia vel uberius ad fructum? vel iucundius ad oblectationem? vel melius ad vitam? Sanè in ſingulis rerum

naturalium diſquiſitionibus magna vis, magnumq́ momentum poſitum eſt ad animum excolendum, & ad benè, beateq́ uiuendum, quòd nulla eſt res natura, in qua non mirandum, non frugiferum aliquod inditum habeatur; attamen admirabile eſt, quantum inter omnes vna excellat prouidentiæ inueſtigatio, quippe huius; ſiue aſpiciamus flores lectisſimos, qui non ornant modò, verum etiam mirificè alunt, ac implent noſtros animos; ſiue intueamur eximiam maieſtatem, quæ tam longè, lateq́ patet, quàm latè, longeq́ funditur mundi amplitudo, facilè intelligemus, nullam eſſe philoſophiæ tractationem, quæ aut mirabiliorem iucunditatis, & vtilitatis fructum nobis præbeat, aut maiori ſit digna conſideratione. Cum igitur totam hanc quæſtionem à Platonicis, Ariſtotelicisq́ decretis non diſcedens duobus libris explicaſſem, horum alterum, in quo Platonem potisſimum ſequor, neminem habui, cuius dicatione nobilitare mallem, quàm Tua Princeps Illuſtriſſ. qui ex ea familia natus es, quæ Dei conceſſu hominum generi data eſt, vt ſua gratia omnium humanarum, diuinarumq́ diſciplinarum ſtudia ma

gnificè

gnificè foueat, atque ſua auctoritate bonarum literarum cultores ab inuidis, & maleuolis mirabiliter tueatur. Huc acceſſerunt ſumma in Te eximiæ probitatis ſpes, ſumma ingenii excellentis indoles, ſummaq; ſingularis virtutis ornamenta, ob quæ Sereniſſimus, Magnanimusq; ALPHONSVS, Princeps cum omni virtute Heroica valde cumulatus, tum in cognoſcendis, perpendēdisq; hominum ingeniis planè mirus, Te dignum iudicauit, quem ad ampliſſima ſacerdotia eligeret; & ego iam pridem Tibi Et me totum addixi, & primos induſtriæ, ac diligentiæ meae fructus conſecrare decreui. Accipe igitur ALEXANDER Humaniſſime hunc meum qualencunque libellum, ſi non eruditione praeſtantem, non obſcurum tamen meae erga Te immortalis obſeruantiae monumentum, quem ſi abs Te aliqua ex parte probari intellexerô; plurimùm illi ſplendoris acceſſiſſe arbitrabor. Viue quàm feliciſſimè, & me, Lucamq; patrem meum. Tibi ex aīo deditiſſimum Tua gratia minimè indignos iudicare ne graueris.

CAPITA HVIVS LIBRI.

PROVIDENTIAM quibus rationibus Platonici confirment. Cap. 1. pag. 4.
In quot partes prouidentia à Platonicis diuidatur. Cap. 2. Pag. 7.
Quot, & quales Diuinitatis gradus fuerint à Platonicis conſtituti. Cap. 3. 12.
Deus quibus nominibus à ueteribus, & Platonicis nuncupetur. Cap. 4. 21.
Quæ Platonicos impulerint, ut ſtatuerent ex Deo fluere Mentem, & Verbum, per quod omnia facta ſunt. Cap. 5. 27.
Ideæ quid ſignificent Platoni, & ubi poſitæ ſint. Cap. 6. 34.
Mens ideis exornata eſt mundus intelligibilis, ad cuius ſimilitudinem hic ſenſilis fuit procreatus. Cap. 7. 40.
Quibus rationibus probent Academici ideas eſſe in ratione rerum. Cap. 8. 44.
Ideæ quas utilitates dicantur ex ſe fundere. Cap. 9. 49.
Idea quid ſit iuxta Pythagoreorum, & Platonicorum opinionem, Cap. 10. 52.
Idea quorum ſit, & non ſit. Cap. 11. 55.
Ex Mente Anima procedit, qua regitur tota hac rerum uniuerſitas. Cap. 12. 58.
Sententiæ Platonis explicatio, qua aſſeritur animam ex diuidua, indiuiduaq; ſubſtantia eſſe compoſitam. Cap. 13. 61.
Circa Animam mundi quorumdam errores aperiuntur. Cap. 14. 64.
Singulis ſphæris ſingulæ animæ ſunt tributæ, ad quas pertinet prouidentia minus generalis. Cap. 15. 69.
Afferuntur argumenta, quibus Dæmones eſſe in rerum natura perſuadetur. Cap. 16. 83.

Dæmon

Dæmon quid ſit, atque in quot, & quos ordines Dæmones diſtribuantur. Cap. 17. 88.

Quæ Dæmonum ſint munera. Cap. 18. 93.

Mens omnia moderatur, vniuerſumq; non conſilio, ſed ſua prorſus natura condidit, atque adminiſtrat. Cap. 19. 99.

Quomodò hic mundus à Mente adeo diſsimilis ex ipſa Mente potuerit emanare. Cap. 20. 105.

Quot, quæue munera Mens dicatur ſuſtinere in officio prouidentiæ perſoluendo; Prouidentia quid ſit; Et cur Dii, ac Dæmones uarias mundi partes dicantur ſortiri. Cap. 21. 110.

Omnia huiuſce uniuerſitatis ita aptè, & ordine ſunt diſpoſita, ut nullus caſui, & fortunæ locus relinquatur. Cap. 22. 114.

In mundo nullum malum eſt alicuius autoritatis. Cap. 23. 117.

De ptouidentia non eſt, ut quis conqueratur, ſi hominum plerique iniuſtè uitam agentes nihil mali reportent. Cap. 24. 125.

In quam ſententiam accipienda ſit Pythagorica, & Platonica metempsychoſis. Cap. 25. 130.

Quæ probis hominibus contingunt aduerſa momenti nihil habent ad prouidentiam euertendam. Cap. 26. 137.

Cur hominum animæ in caduca corpora demittantur. Cap. 27. 141.

Prouidentia minimè prohibet, quin ſingula perficiant ſui muneris functiones. Cap. 28. 151.

Cognitio diuina quàmuis certa ſit, & immutabilis rebus tamen minimè affert neceſsitatem. Cap. 29. 158.

De fato multorum, atque ipſius Platonis opinio explicatur. Cap. 30. 162.

Errata	ſic	Corrigito
Pag. Lin.		
9. 29.	Proclirius	procliuius
32.	ſine	ſiue
12. 1.	condiditad	condidit ad
16.	asſignat	asſignant
26.	quid piam	quidpiam
16, 34.	Plutarcho interpretante lib. de Iſide, & Oſiride ſenſit.	(Plutarcho ĩterp̃tãte lib. de Iſide, & Oſiride, atq; Chalcidio affirmãte in explat. ĩ Tim.) ſẽ
22. 29.	imitatus eſt ueteres	imitatus ueteres (ſit
31.	& Mercurium	& præcipue Mercurium.
56. 8.	illas phæra	illa ſphæra
57. 15.	eſseuerant	aſſeuerant.
58. 32.	pulcherimmum	pulcherrimum
64. 25.	Animam	Anima
72. 35.	vniuerſi	uniuerſi
76. 24.	primarum	proximarum
83. 9.	perfectiſſimam	perfectisſimam
87. 16.	eas	eis
96. 1.	afficiunt.	efficiunt.
98. 24.	ne	ac
100. 25.	cootinetur	continetur
121. 8.	quorum	horum
123. 13.	uniuerſi	uniuerſi.

Leuiora Lectoris æquitati ſunt permiſſa.

THOMAE GIANINII FERRARIENSIS,

DE PROVIDENTIA

Ad ſententiam Platonis, Platonicorum, & Veterum Sapientum:

Liber Vnus.

INTER vtiles neceſſariaſque Philoſophiæ diſquiſitiones ea ſanè, qua prouidentia indagatur, communi omnium ore celebratur; Hac enim probè perſpecta poteſt quilibet cùm in prima philoſophiæ parte, quæ verſatur circa res à materia omnino ſeparatas, tum in altera, quæ rerum naturalium cauſſas perſcrutatur, complures tollere dubitationes. Maximæ autem vtilitati maxima etiam tractandi difficultas videtur adiuncta, cùm nullus ferè in vniuerſa philoſophia exiſtat locus, qui philoſophorum æquè torſerit ingenia, atque hic de prouidentia; Multi namque philoſophi cùm hanc aſpectabilem mundi vniuerſitatem, inſatiabilemque rerum varietatem oculis atque animo perluſtraſſent, Dei prouidentia mundum adminiſtrari, eamque rebus mundanis conſulere, ac animantium commoda, vitasque tueri non iniuria crediderunt. Fuere nonnulli, qui hunc terrarum orbem eſſe latiſſimum fortunæ campum animaduertentes, atque Deum nil

lis occupationibus,nullis moleſtis,operoſiſque negotijs eſ-ſe implicari perſuaſum habentes omnem prouidentiam à mundo ablegarunt, eumque vt fors tulerit adminiſtrari prodiderunt. Nec defuerunt, qui Deum res mundi quidem curare dixerunt,ſed hoc perparcè admodum atque negligenter facere, quippe qui paruis neglectis magnorum duntaxat habeat curationem. Alij alia (ne nunc perſequar ſingulorum opiniones) de prouidentia, Deique natura tradiderunt,& in tanta varietate ac diſſenſione (quod magnæ difficultatis eſt indicium) ſunt conſtituti, vt in hac re tot eſſe diſcrepantes philoſophorum ſententias magna ſit dignum admiratione. Verumenimuero cùm ſtudium noſtrum rei difficultate debeat potius incitari, quàm retardari,pulchrum equidem duco totum animum,atq; omnem curam,operam,diligentiamque in hac re conſiderandâ adhibere, ac quæ fuerit Platonis, & Ariſtotelis opinio, diligenter inquirere.Nec me quiſpiam exagitet, ſi poſt uiros omni honore & autoritate dignos hac de re ſcribere aggredior, ſiquidem non iſtud facio,quia ſcire me putem quæ cæteri hactenus ignorarunt, ſed ut obſcuras Platonis,& Ariſtotelis ſententias explanando , & quæ latent in poſitis principijs eruendo totam hanc diſquiſitionem,quã tum efficere , atque conſequi poſſum, rectè, atque ordine explicem, quod veteres Peripatetici, & Academicorum plerique præſtare minimè curarunt. Cùm itaque de prouidentia uerba ſim facturus, omnes velim primùm admonitos me in ſcholis philoſophorum hæc de Platonis,Ariſtotelisq; ſententia publicare, quæ nunquid uera ſint, viderint illi. Mihi profectò ſum optimè conſcius ea ueritati eſſe maximè cõſentanea,quæ ſanctiſsimi homines Dionyſius, Baſilius, Cyrillus, Theodoretus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorij, Thomas, cæterique Theologi magno viri ingenio de prouidentia literis tradiderunt. Atqui hoc tempore non de veritate, ſed de Platonica,Ariſtotelicaque opinione lites aguntur. De prouidentia igitur cùm quæratur, non poſſumus de ea ſine errore diſputare, niſi primùm illius vocabulum in ſuas notiones di-

tinguamus, atque illam explanemus, quæ in hac diſquiſitione nobis eſt propoſita. Vox prouidentiæ, quæ græcè πρόνοια dicitur, plures apud ſcriptores inuenit ſignificationes, ſiquidem Deus fuit quandoque prouidentia nominatus, ut qui ſit Philopono lib. 3. de anima explicante πρὸ τοῦ νοῦ, hoc eſt ante Mentem. Interdum prouidentia ſumitur pro præuidentia, per quam futurum aliquod præuidetur, antequam eueniat. Quinetiam ſolemus prouidentiam appellare rationem, quæ in animo prouidentis eſt impreſſa, quaque prouidens ipſe ſingula diſponit, quæ ipſius imperio ſubijciuntur. Ratiocinationi præterea nomen prouidentiæ tribuimus, qua quiſpiam deliberat, qua conditione expediat aliquod moliri, & qua ratione quamoptimè quoad fieri poteſt conſtruere. Denique prouidentia vſurpatur pro functione, quam id, quod prouidet, cernitur exercere in ijs adminiſtrandis, quæ in ipſius ſunt poteſtate, & ditione. Hæc nobis de prouidentia diſſerentibus proprior erit ſignificatio, hancque cæteris repudiatis ſolam amplectemur inquirentes nunquid vniuerſum alicuius curationi ſubijciatur. Tota autem hæc tractatio duobus libris erit à nobis explicata, quorum altero Platonis, altero Ariſtotelis de prouidentia ſanctiones perſequemur, in quibus excutiendis ſi aliquæ occurrent dubitationes haud contemnendæ, in his profligandis paulisper immorabimur, has tamen ita exponemus, ut eas nec leuiter attingere, nec nimis prolixè explicare videamur. Sed ne res in longum differatur, iam deſinamus præfari, & rem propoſitam aggrediamur à Platonis opinione exorſi.

Prouidentiam quibus rationibus Platonici confirment. Cap. I.

MVLTA & varia de prouidentia ſcripſerunt plures inter antiquos & recentes Academicos, quippe plura, quæ ad hanc rem pertinent, in Plutarchi, Porphirij, Iamblichi, Maximi Tyrij, Chalcidij, Ficini, & aliorum, qui Platonis doctrinam ſunt amplexi, monumentis deſcripta reperiuntur, ſed ita fuſè & indiſtinctè ſingula ſunt diſpoſita, ut ordo in illis ab omnibus meritò deſideretur. Plotinus, & Proclus etſi pluribus in libris omnia ferè ad hanc tractationem facientia attingere videantur, multa tamen ab his, (ut arbitror) cùm fuerint prætermiſſa, & plurima in ipſorum ſcriptis ſint magnopere perplexa, ac multis obſcuritatibus inuoluta, mihi, qui hanc quæſtionem paulò apertiùs & diligentiùs (modò poſſim) tractare conſtitui, commodiſſimus locus fuit relictus. Hunc mundum eſſe diuina prouidentia conſtitutum omnes Academici apertiſſimè ſenſerunt, nam Plato ſic loquitur de prouidentia, ut planè affirmet Deũ rebus omnibus præſidentem gubernacula totius orbis manibus continere, ſuoque nutu cuncta gubernare. In Philebo namque omnium ſapientum teſtimonio rationem prouidentiæ confirmauit, qui conſentiunt Mentem eſſe gubernatricem cæli ac terræ, & multis interpoſitis adiecit quandam vniuerſo incubare cauſſam non contemnendam, quæ ornat, connectitque annos, menſes, & horas, quæque ſapientia & Mens nuncupatur. Et lib. 10. legum poſtquam demonſtrauit Deos eſſe, aduerſus illos aggreditur diſputationem, qui quamuis Deos eſſe dicant, curam tamen rerum humanarum habere negant, atque multis probat Deos, cùm referti ſint omni genere uirtutis, rerum omnium curationem ſibi uendicare. His & alijs pleriſque locis, qui prorſus ſunt ſuperuacanei, ut mihi hoc tempore recitentur, perſpicuè nobis oſtendit Plato

ſummum ius prouidentiæ in his rebus gubernandis, quæ mundi amplexu coercentur. Nec uerò quiſquam poteſt aliter arbitrari, qui Platonicorum rationes audiuerit prouidentiam confirmantes, qui hoc modo argumentantur. Cùm omnibus, quæ in hac rerum deſcriptione continentur, proprij certique fines ſint deſtinati, raroque in illis quippiam temere ac fortuitò euenire deprehendatur, oportet in mundo prouidentiam conſtituere, cuius vi omnia adminiſtrentur, atque in his nihil ſit ſine cauſſa, nihil ſuperuacuum, & vnumquodque proprium vſum habeat, finemque peculiarem, in quem proficiſcatur. Deinde ſi animalia quæque vilia, & paruus hic mundus mira ratione gubernantur, atque illis inſtrumenta omnia commodiſſimè ſunt tributa multis diuerſisque modis munita diuinitus, & perquam mirabiliter exornata, nemo fuerit, qui non ſentiat in mundo eſſe prouidentiam, quæ omnia regat, moueat, ac moderetur. Ad hæc imaginem, ſtatuam, & cætera artificioſa mira arte ac ratione fieri nemo vnquam dubitauit, verùm cùm ars ſit naturæ imitatrix, & hæc arti plurimùm antecellat, profectò quæcunque natura conſtant, ratione & conſilio gubernari oportet confiteri: At ſi diuinam adminiſtrationem, & Dei à rebus prouidentiam ſecluſerimus, nulla ratio in natura poterit excogitari, per quam ea, quæ à natura fiunt, adminiſtrari dicantur. Enimuero cùm natura ipſa per ſe mentis & rationis particeps non ſit, non alia ratione dici poteſt operis, quod fabricata eſt, vſum ſibi propoſitũ habuiſſe, illudque ratione confeciſſe, niſi quia ab aliquo intelligente in finem & ſcopum, ad quem peruenit, fuit deſtinata, & in illius ditione conſtituta. Deinde ſine legibus & religione uita hominũ ſtultitia, ſcelere, ac immanitate cõpletur: atqui è mundo Dei prouidentia exterminata leges omnes auferuntur, & religio omnis conculcatur, ergo qui è mundo eijciunt prouidentiam, hominum uitam & ſocietatem deſtruãt, eſt neceſſe. Optima igitur ratione iſtud cùm legum latores, & morum magiſtri haberent perſpectum, leges ſuas & præcepta viuendi diuinæ prouidentiæ ſigillo munienda & obſignanda

eſſe cenſuerunt. Nec al[illegible] Di[illegible] [illegible]ſtimauit legum omnium pulcherrimum & optimum procœmium eſſe Deos exiſtere, eoſque bonos, & iuſtitiam in maiori pretio, quàm homines habere. Etenim, ut Atticus dicere conſueuerat, hominum ini quitas augeatur, oportet, niſi omia credant Deorum proui- dentia gubernari, & rectè factis præmia, peccatis ſupplicia eſ ſe propoſita. Rurſus ſi quis paulò attentiùs uoluerit mente circunſpicere hanc admirabilem uniuerſitatem ex tot orbi- bus, tot elementis, & corporibus coagmentatam, dubio pro- cul ſibi perſuadebit formarum diſtinctionem, & perpetuam in ſeruandis ordinibus conſtantiam tot ſeculis abſque periti rectoris prouidentia conſtare nequaquam potuiſſe. Præterea cùm Dei ſapientia ſumma, & immenſa ſit, quæ autem in mun- do continentur multis incommodis expoſita eius ope indi- geant, quò ad id, cuius gratia condita ſunt, poſſint peruenire, ipſa æterna Dei lex minimè permittit ipſum in cælis à mun- di procuratione prorſus feriatum deſidere, & otioſum tâtùm rerum humanarum ſpectatorem agere. Sapientis enim pro- prium officium eſt gubernacula tractare, & alios, qui minus valent conſilio, & prudentia, ad finem congruentem dirige- re. Inſuper apud omnes ſapientiæ amatores certiſſimum ha- betur mundum eſſe quandam ueluti rempublicam cuncta in ſe coercentem, ac multò ijs omnibus abſolutiorem, quæ ad ipſius imitationem ſunt ab hominibus conſtitutæ: Cùm igi- tur inter homines nulla ſit tam abiecta reſpublica, quæ non ſumma ratione gubernetur, nemo fuerit tam malè ſanus, qui in huius mundi republica non confiteatur prouidentiam eſ- ſe, quæ regat, & Deum, qui adminiſtret. Poſtremò id omni- bus maximo poteſt eſſe argumento ad Dei prouidentiam cô- probandam, quòd ſi quis neget illum mundo prouidere, hoc certè fit, uel quia non uult, uel quia nequit; uel quoniam quic quid huius eſt officij, non ſatis probè tenet. Quòd ſi non uult, idcirco euenit, aut quia uoluptatibus, turpique otio impedi- tus id muneris non curat, aut quia propter humilem, abie- ctamque rerum conditionem illud aſpernatur, quaſi quòd

turpe indignumq; ſit Deum rei vilis, & multiſ mutationibus expoſitæ curam ſuſtinere. Cæterùm cùm nefas ſit Deum ſe dicare uoluptatibus, propterq; deſidiam in otio uiuere; cumque mundus ita ſummum teneat dignitatis ſplendorem, ut nequaquam ſit deſpiciendus, profectò is peccat grauiſſimè, qui mundum ai à Deo, quoniam non vult, minimè adminiſtrari. Præterea ſi Deus hanc vniuerſitatem negligeret, res certè uiliſſimas potisſimùm contemneret, at verò in his apparet ars ubique miranda cùm ſpectans ad neceſsitatem, tùm etiam ad ornatum vniuerſi maximè conducens. Sed nec etiam dubitandum eſt, quin Deus cognoſcat quæque exquiſitisſimè, & uim habeat ualidisſimam, quippe qui rerum omnium explicatam habet cognitionem, & nihil ſuperat diuinã illius facultatem: ergo concludendum eſt hanc rerum omnium conſtitutionem ſumma, & præpotenti Dei prouidentia gubernari. Atque hanc ob cauſſam forſitan factum eſt, ut Deus ab Orpheo in hymno ad Naturam fuerit uocabulo immortalis prouidentiæ nominatus, quippe cui ſumma, ac perpetua uis ineſt rebus omnibus prouidendi. Multò plures Academici afferunt argumentationes in prouidentia conſtituenda, uerùm hæ ſunt omittendæ, quòd prolixiorem ſermonem deſiderant, minusque ſunt neceſſariæ.

In quot partes prouidentia à Platonicis diuidatur. Cap. II.

QVAMVIS conſtans, firmaq; ſit Platonicorum ſententia Deum totius mundi curam eſſe complexum, illis tamen uideo placuiſſe eandem curationem diuinæ Menti, quam Boni filiam appellant, Animæ mundi, ac præterea ſphærarum & ſtellarum animis, atque Dæmonibus fuiſſe commendatam, nam tota prouidentia fuit ab illis in tres partes diſtributa in vniuerſam, minus

vniuerſam, & ſingularem. Vniuerſam & generalem, qua omnia omnibus generatim prouidentur, uoluerunt Academici tria diuina principia Deum, Mentem, & Animam mundi ſibi vſurpaſſe, tradideruntque Deum omnem rerum procurationem Menti crediſſe, Mentem in Animam mundi tranſtuliſſe, & ab hac leges, quas nominant fatales, ad mundum permanaſſe, & cōtinenter permanare. Iſtud poteſt uideri Platonicos ex Chaldæorum, Magorumq́ue fontibus hauſiſſe, in quibus hæc habentur: *Omnia perficit pater, ac Menti tradidit ſecundæ, quā uocat primā hominum genus. Hæc verò inſeruit animæ ſignæ*; hoc eſt Deus, qui eſt Pater Mentis, vniuerſam rerum cōſtitutionem primùm eſt molitus, mox illam credidit Menti filiæ, quæ ſecunda quidem eſt, ſi patrem conſideres; prima, ſi res aſpectabiles & inaſpectabiles creatas velis contemplari; qua certè ratione prima omniumq́ue rerum principium fons & origo ab hominum genere uocatur: ſiquidem, ut ait Numenius in ijs, quæ de Bono conſcripſit, cùm homines Dei patris maieſtatem ignorarent, atque neſcirent Mentem habere patrem, ipſam ſolùm habebant cognitam, ipſamq́ue Deum primum nuncupabant, at hæc poſterior eſt, Deusq́ue ſecundus, & ex Deo patre primoq́ue proximè genita; quæ ſanè quicquid accepit à patre, tradidit Animæ mundi ab ipſa dependenti. Cæterum inter hos & Platonis amatores illud intereſt, quòd ſentiunt Chaldæi & Magi primum Deum mundum condidiſſe, illiusq́ue curam Menti crediſſe, at Platonici aſſeuerant Deum primum eſſe tantùm finem, in quem omnia referuntur, mundi autem opificem eſſe mentem, Deúq́ue ſecundum ex primo Deo emanantem. Qua quidem in re Pythagoricos ſunt imitati, qui Imperatorem huius uniuerſitatis immotum manere, & nihil omnino rerum gerere ſenſerunt, quod Philolaus, & Numenius atteſtantur, nam ille. *Eſt*, inquit, *autor & princeps rerum omnium Deus ſemper vnus, ſtabilis immobilis, ipſe ſui ſimilis, aliorum diſſimilis*: Hic verò in lib. de Bono prodidit hæc: *Primū Deum regem omnium ab omni opere ceſſare oportet: Creatorem uerò Deum omnia gubernare di-*

cimus

cimus. Atque ob hanc cauſſam effectum eſt, vt Pythagorici dixerint numerum ſeptenarium eſſe Deo ſimilem, nam cùm cæteri omnes numeri partim gignant, & partim gignantur, ſoli ſeptenario nec gignere natura dedit, nec gigni, ut plano explicatur à Philone lib. de mundi opificio. Itaque cùm antiquus ille mũdi princeps nec moueat, nec moueatur, & quod ſequitur, nec gignat, nec gignatur, quandoquidem tam id, quod gignit, quàm quod gignitur, non caret motu, (mouetur enim alterum, ut gignat, alterum, vt gignatur) meritò illius imago dici poteſt ſeptenarius. Hæc Pythagorici, quibus non omni ex parte Platonici aſſentiuntur, quippe qui tametſi velint Mentem, Deumq; ſecundum eſſe huius vniuerſi opificem, atque in illius adminiſtratione uerſari, attamen nolunt illam moueri aliquo pacto, ſed firmiter credunt eſſe ſtabilem, & penitus immobilem, ut infra exponemus. Quocirca nequaquam aſſentiuntur Pythagoricis ſtatuentibus id omne, quod molitur, aut efficit aliquod, neceſſariò moueri. Iidem Platonici (ut ad partes prouidentiæ ſermo reuocetur) minus generalem, & vniuerſam prouidentiam ſphęrarum, ſtellarumq; animis conſecrarunt, quòd harum quælibet licèt omnibus proſpiciat, omnia tamen minimè largitur, ſed quæ ſibi ſunt propria, ſuæque ipſius naturæ accommodata. Particularem in Dęmones, & Heroes contulerunt, quia ſinguli certa rerum genera adminiſtrant, illiſque munera definita impartiunt. In his pręterea caducis corporibus gubernandis ſingularem prouidentiam noſtris animabus aſcripſerunt, hasque aliquando illorum gubernatione tam uehementer ſollicitari diuulgarunt, vt à ſuperioribus diſcedere cogantur imaginandi facultate ad inferiora procliuiùs delabente, atq; eam animæ vim, cuius partes ſunt ratione vti, ſecum adducente. Plutarchus in lib. de fato triplicem facit prouidentiam; Primam, & ſupremam uocat primi Dei intelligentiam, ſiue mauis uoluntatem beneficam, qua primùm ſingulæ diuinæ res omnino optimè & pulcherrimè ſunt ordinatæ: Secundam aſſerit eſſe Deorum ſecundorum, qui per cęlum ingrediuntur, qua & mor-

talium res ordinatè fiunt, & ſingulorum generum permanſio atque ſalus procuratur: Tertiam nominat prouidentiam, atque procurationem Geniorum, ſiue Dæmonum, qui circa terram collocati humanarum ſunt cuſtodes, inſpectoresq; actionum. Has prouidentias Plato (ut idem inquit) in Timæo indicauit, nam cùm ſcribit: *Dicamus cauſſam, cur vniuerſum hoc machinatus ſit autor: Bonus erat, in bonum autem nulla aduerſus quicquam, aut vlla de re inuidia cadit. Ea itaque vacuus uoluit omnia ſibi quàm maximè fieri ſimilia. Hanc de origine mundi ſententiam potiſſimùm à prudentibus traditam rectiſſimè amplecteris. Volens enim Deus omnia bona; nihilq; (quantum omnino fieri poſſet) malum eſſe, omne id, quod cernitur, aſſumens non quietum & tranquillum; ſed temere agitatum & fluitans id ex inordinata iactatione redegit in ordinem. Hoc enim iudicabat eſſe præſtantius.* Hæc & quæ ſequuntur uſque ad diſputationem de animis humanis, de prima prouidentia ſunt accipienda, quę principio omnia conſtituerit. Poſt uerò cùm ita loquitur: *Quæ cùm illis ita deſignauiſſet, nequà penes ſe futuræ prauitatis cauſſa eſſet, alios in Solem, alios in Lunam, alios in alia temporis inſtrumenta diſſeminauit, ac poſt factam ſementem quod reliquum erat, Dijs minoribus agendum mandauit, ut corpora mortalium fingerent, quantumq; eſſet animæ humanæ, quod reliquum huic deberet accedere, id omne, & quæ conſequentia eſſent, adiungerent, regerentq;, & quam optimè & pulcherrimè fieri poſſet, mortalis animalis naturam gubernarent, ne ipſum ſibimet malorum cauſſa eſſet.* His Plato declarat ſecundam prouidentiam, uideturque ſimul etiam tertiam attingere. Eiuſdem opinionis Apuleius poteſt uideri, qui lib. de Platonis dogmate Deorū tres ſpecięs nuncupans, quorum eſt vnus, ſummus, ultramundanus, pater, & architetus huiuſce orbis; in alio genere ſunt aſtra, cæteraque numina, quæ cœlū inhabitant; tertium habent Dæmones, qui ex ſui ratione, & loco, & poteſtate Dijs ſummis ſunt minores, & hominum natura maiores; vult primam prouidentiam eſſe ſummi, exuperantiſſimique Deorum omnium; Deos cęleſtes ſecundam retinere; & Dæmones, quos Medioximos Romani ueteres appellant

pellant, nos Genios, & Lares poſſumus nuncupare, in tertia ſeſe exercere deorũ miniſtros, & hominum cuſtodes. In Plutarchi præterea opinionem doctisſimus, ſanctiſſimusque uir Gregorius Nyſſenus cap. 3. lib. de prouidentia declinauit, qui prouidentiã ſtatuẽs eſſe triplicem. *Prima, inquit, prouidentia eſt Dei. Conſulit uerò hic primo loco proprijs, deinde uniuerſis, ut cæleſtibus orbibus, & aſtris, omnibusq; rerum generibus, ut ſubſtantiæ, quantitati, qualitati, & alijs talibus, atque formis, quæ his ſubiectæ ſunt. Secunda, qua conſulitur ſingulis animalibus, & plãtis, horumq; ortui & interitui, cæterisq; mutationibus: quam quidẽ prouidentiam Plato attribuit Dijs minoribus, qui per cæli ambitũ feruntur: Ariſtoteles autem Soli, & circulo Zodiaco. Tertia uerò rebus humanis propria eſt, quam Dæmonum eſſe vult circa ipſam terram uiuentium, & humanis actionibus præfectorum. In quibus prouidentiæ gradibus ſecundus, & tertius à primo pendent: quoniam Deus rerum omnium opifex, et moderator ſecundos, & tertios conſultores inſtituit.* Adiecit Cardinalis Beſſario lib. 2. contra Platonis calumniatorem primæ prouidentiæ uim immutari aut impediri nullo modo poſſe, quoniam ſcilicet in hac duo coniuncta ſunt, dei præſcientia, & eiuſdem determinata voluntas, quibus quæ definita ſunt, ea nihilo magis, quàm ipſe deus, immutari poſſunt. Quę uerò ad ſecundam, & tertiam prouidentiam pertinent, hęc facilè immutari poſſe, atque eui tari, quia in his interueniunt multæ cauſſę, quę ad vnum effectum determinatę nõ ſunt, & interturbari facilè poſſunt. Porrò ſententia, quę primum fuit explicata de gradibus prouidẽtiæ, quæque eſt Plotini, Iamblici, & aliorum clariſſimorum Platonicorum, multò uidetur probabilior, & Platonis opinionem magis patefacere: Enimuerò in ijs, quę dicuntur à Plutarcho, nulla fit mentio Mentis, & Animę mundi, quibus ne fas eſt nullam adſcribere mundi curationem. Nec Platonis uerba in Timęo vniuerſam indicant ſupremam, primamque prouidentiam, ut ex ijs intelligetur, quæ de prouidentiæ muneribus ſuo loco ſumus tractaturi; nec de deo accipi poſſunt, qui Bonum eſt, non bonus, ſed ſunt de Mente intelligenda,

quæ hoc uniuerſum condidit ad ſui ſimilitudinem, illudq; ſumma ratione gubernat.

Quot & quales Diuinitatis gradus fuerint à Platonicis conſtituti. Cap. III.

VT tota hæc queſtio de Platonica prouidentia perfectè explicetur, nihilque à nobis prætermittatur, quod ad hūc locum illuſtrandum facere uideatur, non erit præter rem, ſi nonnulla curſim attingamus, quæ à Platonicis de diuinis principiis, ſphęrarum animis, & dæmonibus longa oratione exponuntur, ſiquidem his ignoratis difficillimum eſt tenere naturam prouidentiæ: Plotinus, Porphyrius, & alij Academici tres ſtatuẽtes gradus diuinitatis deum ſummum dignitatis gradum obtinere affeuerant ingeneratum, æternum, nullum habentem principium, & à nulla cauſſa pendentem: Secundum Menti aſſignat: Tertium ordine, & dignitate ponunt id, quod appellant Animam vniuerſi. Iſta dicunt prima rerum principia, illaque ſic ubique uigere, ſicque occultis deductionibus ad ſe omnia allicere affirmant, ut nihil in rerum natura locum habeat, quod vires ipſorum poſſit præcauere. Neque alicui ſingulari præcipuè ſunt addicta, ſed omnibus communiter adſunt, adeoque admirabiles ex ſe fundunt opportunitates, vt omnium commodis ſeruiant uehementisſimè. Cauſſa cur diuinitas ſit tam latè patens, vt ad omnes res pertineat, eſt eiuſdem diuinitatis infinitas, quæ cùm omnia impleat, fieri non poteſt, ut quid piam quamuis minimum extra ipſam cõſiſtat, quemadmodum enim ſi magnitudo aliqua infinita in rerum vniuerſitate cohęrreret, neceſſariò hæc omnia loca occuparet, eodem modo immenſa diuinitatis poteſtas ubique præſtò eſt, & ſic longè lateque protenditur, ut in omnia penitus peruadat: Huc accedit, quòd præſentia diuinitatis res omnes ſuſtinentur, & conſeruantur, quippe in illa omnia ſunt, uiuunt, & mouentur, & ab illa fluunt rerum omnium commoda, quę ſingulis rebus impertiuntur, ergo ſi uel exi

guo

quo interuallo res à Diuinitate diſiungerentur, continuò oc ciderent, & in nihilum prorſus relaberentur. Præterea formæ materiatæ, quia ex certis, definitiſque materijs exoriuntur, ijſdem neceſſariò cohibentur; atqui principia diuina ex mate ria nullo pacto pullularunt, non igitur ipſorum poteſtas ullis locorum finibus coercetur, ſed per omnia permeat latè lon gèque diffuſa. Nec uerò quippiam poteſt eſſe Diuinitati impe dimento, ne per omnia tranſeat, quoniam cùm ſit infinita, & maximè ſimplex, ac pura, nihil eſt, quod infinitæ ipſius purita ti, & ſimplicitati queat obſiſtere. Porrò Deum, Mentem, & Animam eſſe principia ex ijs, quæ præ cæteris in mundo maximè communia ſpectantur, haud leuem poſſumus trahe re ſuſpicionem. Inter omnia ad bonum propenſio tam longè lateque patet, ut nihil mundum habitet, quod bonum non expetat, illiusque gratia non agat, quicquid omnino rerum gerit: Ab hac ſequitur ordo, quo formæ ſunt inter ſe diſtin ctæ. Tum tertio gradu ſtatuitur motus, quem dicimus uita lem. In bonum procliuitas pendet à Deo, quem Bonum uo camus, ſic enim omnia ſunt condita, ut ſingulis non ſolùm fuerit impertitum, ut eſſent, & bene eſſent, ſed præterea fa cultates fuerint attributæ, quibus hæc aſſequerentur, quantũ cuiusque uis, ac natura capit: Ad eſſe data eſt pronitas, qua ſe unumquodque tuetur ab iniuria corrumpentis; ad bene eſſe facit boni appetitio, & mali aſpernatio. Itaque cùm Deus ſit ipſum Bonum, omnia ad Deum habent pronitatem ingene ratam. Ad Mentem ſpectat ordo formarum; & partes ſunt Animæ mundi motum uitalem impartire. Quamobrem cùm mundus ſit pulcherrimus ob formas inter ſe aptè ordinatas, & efficaciſſimus ob motus uitam ſuggerentes, meritò Mens vbique ordinat, & Anima ubique mouet, nec ullus eſt locus, vbi hæc, & illa non conſiſtat. Cùm uerò munus, quò latiùs pa tet, eo à cauſſa priori proficiſcatur, meritò prima omniũ cauſ ſa eſt ipſum Bonum, à quo deriuat ad bonum propenſio; ſecũ da eſt Mens, ad quam pertinet ordo formarum; tertia eſt Ani ma, cuius intereſt motum omnem uitæ conducentem exhi

bere

bere. Amplius quoniam Boni gratia ordo formarum in unű cõſpirat, & ad Bonum uitalis quæque motio contendit, hinc ſequitur, ut Mens, quę cuncta diſponit, & Anima, cuius ui omnia mouentur, à Deo pendeant, & in ipſum referantur. Sic igitur hoc uniuerſum, quod ab alio mouetur, Animæ ui proximè regitur, quæ à ſeipſa mouetur, & motu proprio cuncta ciet. Hęc redigitur ad Mentem omnino immobilem, ſuaque immobilitate omnia ducentem: Vtraque uerò Mens ſcilicet & Anima ad Bonum refertur, cuius gratia Mens mouet immobiliter, & Anima mobiliter; & in quo Mens ipſa conquieſcit, & circa quod Anima ſeſe reuoluit. Ficinus lib. 4. Theologiæ exiſtimat hos gradus Diuinitatis fuiſſe Magis comprobatos, quippe de ipſorum ſententia tres ſunt præcipui principes ſuper mundum, Oromaſis, Mitris, & Arimanis, id eſt (ipſo exponente) Deus, Mens, & Anima. Hunc in errore uerſari, & Magorum opinionem parum syncerè interpretari ex Diogene Laertio, & Plutarcho intelleximus, ſiquidẽ primus in procemio ex Ariſtotele primo de philoſophia libro ſcribit Magos eſſe antiquiores Ægyptijs, duoque iuxta illos eſſe principia bonum Dæmonem, & malum; atque alterum ex his Iouem & Oromaſdem, alterum Plutonem & Arimanium dici: atque iſtud quoque proditum fuiſſe ab Hermippo in primo de Magis, ab Eudoxo in periodo, & à Theopõpo octauo Philippicorum libro. Alter uerò in lib. de Iſide & Oſiride hæc habet: *Vetuſtiſſima proinde à ſacrarum profeſſoribus rerum, & legumlatoribus deriuata eſt opinio, auctore incognito, fide firma & indelebili; non in ſermonibus ea tantùm & rumoribus, ſed & in myſterijs ac ſacrificijs tam Barbaris quàm Græcanicis extans, neq; caſu ferri, & à fortuna pendere vniuerſum, mente, ratione, ac gubernatore deſtitutum. neque vnicam eſſe rationem, quæ contineat id & dirigat tanquam cl uum, aut fræna moderans: ſed cùm permulta è bonis iuxtà, maliſq; ſint confuſa, immo nihil hæc natura syncerum (ut uerbo dicam) proferat: non eſſe unum aliquem promum, qui è duobus dolijs res nobis, ueluti aliquem liquorem cauponis in morem diſtribuat, atque miſceat. Ergo à duobus principijs cõtrarijs,*

aduerſiſ-

aduerſisq́; duabus facultatibus, quarũ altera ad dexteram, & rectà ducat, altera retrorſum auertat atque reflectat, cùm uitam eſſe miſtam, tum ipſum mundum (ſi non vniuerſum, eum ſaltem, qui ad terram eſt, & Lunæ ſubiacet) inæqualiter ferri, varijsq́; & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil abſque caußa fit, & mali cauſſam bonum non præbet, neceſſe eſt in natura vt boni, ita etiam mali ortum peculiarem, ſuumq́; principium extare. Atque hæc quidem ſententia plerisque, & ijsdem ſapientiſſimis probatur. Exiſtimant enim alij duos eſſe Deos quaſi contrarijs deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat. alij eum, qui eſt melior, Deum, qui deterior, Dæmonem dicunt. In qua ſententia fuit Zoroaſtres magus, quem narrant 1 ɔ ɔ. annis antiquorem bello Troianno extitiſſe. Is ergo Zoroaſtres melioris nomen Oromazem, peioris Arimanium perhibuit, addiditq́; hoc enunciatum, de rebus ſub ſenſum cadentibus illum maximè ſimilem eſſe luci, hunc tenebris, & ignorationi; medium horum eſſe Mithram, quæ cauſſa eſt, quòd Mithrã Perſæ Meſiten, id eſt mediatorem, ſeu intermedium nuncupant. Docuitq́; votiuas, & pro gratijs agendis oblatas victimas illi immolandas: huic auerruncandi mali cauſſa inſtitutas & tetricas. Herbam enim quandam Omomi appellatam in mortario tundentes Ditem inuocant, & Tenebras: tum admiſto lupi iugulati ſanguine efferunt & abijciunt in locum, quò ſolis radij non pertingunt. Nam & de Stirpibus ita iudicant, quaſdam boni Dei eſſe, mali quaſdam Genij: & animalium alia, ut canes, aues, & echinos terreſtres bono, aquaticos malo adiudicant: itaque & beatum eum prædicant, qui plurimos interfecerit. Enimuero illi quoque multa de Dijs fabuloſa narrant; cuius generis eſt quod referam. Oromazem natum aiunt è luce puriſſima, Arimanium è caligine, eos bellum inter ſe gerere; ſex Deos feciſſe Oromazem, primum beneuolentiæ, ſecundum ueritatis, tertium æquitatis, reliquos ſapientiæ, diuitiarum, & uoluptatis, quæ honeſta conſequitur opificem. Arimanium totidem numero his aduerſa efficientes. Deinde Oromazem ſeſe triplicaſſe, & à Sole tanto ſe interuallo remouiße, quanto à terra Sol abeſt, ac Cœlum Stellis decoraſſe, unamq́; ante alias tanquam cuſtodem, & ſpeculatorem conſtituiſse Sirium; alios porrò xxiv. Deos condidiſse, & in

uũ poſuiſſe. At totidem numero factos ab Arimanio ouum illud perforaſſe; Hinc mala bonis eſſe permiſta. Appetere porrò fatale tempus, quo neceſſe ſit peſte, & fame ab his adducta Arimanium omnino perdi, atque aboleri; terraq́ æquabili, & plana facta unam uitam, unamq́ ciuitatem beatorum hominum uniuerſorum, unaq́ lingua vtentium fore. Theopompus ait de ſententia Magorum uicibus ter mille annorum alterum Deorum ſuperare, alterum ſuccumbere: & per alia tria annorum millia bellum eos inter ſe gerrere, pugnare, & alterum alterius opera demoliri: tandem Plutonem deficere, & tunc homines fore beatos, neque alimento utentes, neque umbram edentes: Deum porrò, qui iſta machinetur, quieſcere ad aliquod tempus, non quod longum ſit Deo, ſed rectum, & mediocre tanquam hominis dormientis. Hoc modo ſe habent Magorum *fabulæ.* Hæc Plutarchus, ex quibus intelligitur Magos de Oromaze, Mithra, & Arimanio aliter, atque Ficinus exiſtimat, ſentire. Cæterùm hæc opinio Magorum de duobus aduerſis rerum principijs ita veterum animos occupauit, ut nemini ferè non fuerit probata. Græci enim bonã partẽ Ioui Olympio, malam Diti Auerrunco adſignarunt. Chaldæi planetas Deos faciẽtes horum duos Iouẽ, & Venerẽ, beneficos, totidẽ hoc eſt Saturnũ, & Martẽ, maleficos, reliquos tres videlicet Solẽ, Mercuriũ, & Lunã medios, & promiſcuos affirmarũt. In eandem opinionẽ abijt Ptolemæus hoc vno diſſentiens ab illis, quòd Lunam numerat in bonis, non in medijs, & promiſcuis. Ab Ægyptijs Deus, qui bona præbet, Oſiris, qui mala, & damnoſa, Typhõ nominatur. Pythagorici his principijs plura nomina dederunt, nam Bonum appellarunt Vnitatem, Finitum, Quieſcẽs, Rectum, Impar, Quadratum, Æquale, Dexterum, & Splendidum. Malum uerò Binarium, Infinitum, Verſans in motu, Curuum, Par, Altera parte longius, Inæquale, Siniſtrum, & Tenebricoſum. Empedocles principium boni amorem, & amicitiam, ſæpe etiam harmoniam nuncupauit, mali uerò rixam pernicioſam, & litem ſanguinolentam. Plato lib. 10. legum Plutarcho interpretante lib. de Iſide, & Oſiride ſenſit mundum non unica Anima, ſed pluribus, & ad minimum

duabus

duabus cleri, quarum altera bonorum efficiat, altera huic contraria ſit opifex mali. Cæterùm Ficinus, & alij hunc locum ſecus interpretantur, inquiuntque Platonem, cùm ſcribit geminam eſſe Animam mundi, unam beneficam, alteram uerò huic cõtrariam, ſentire non ſubſtantiam, ſed facultate eſſe geminam, ſiquidem in Anima mundi, atq; cæleſti duę facultates reperiuntur, quarum altera quidem mouet corpora, altera intelligit. Hæc benefica eſt, ordine cuncta diſponens: Illa uerò eatenus benefica eſt, id eſt ordinatrix, quatenus ſubeſt intellectuali. Cui quidem niſi ſubeſſet, quantò efficacior eſt ad motum, tantò magis carens arte præcipitaret vniuerſum, atq; confunderet: Sed hæc relinquamus, & ad gradus Diuinitatis, à quibus abijt oratio, reuertamur. Hæc diuina principia num quid re, & ſubſtantia ſint vnum, altercantur Platonis interpretes: Euſebius Cæſarienſis lib. 11. de præparat. euangelica, Theodoretus lib. 2. de curat. græc. affec. Auguſtinus Steuchus lib. 1. de perenni philoſoph. & quicunque Platonis doctrinam Chriſtianæ religioni ſtudent conciliare, hæc tria vnũ re, & idem eſſe arbitrantur, ſcribuntque Platonem uocare ipſum Bonum, quem nos dicimus Patrem, Mentem, quem nos Filium, Verbumque; potentiam uerò, quæ animet omnia, & uiuificet, Animam nominare, eam ipſam uidelicet, quam Spiritum Sanctum ſacræ literæ appellant. Plotinus Porphyrius, Proclus, Numenius, cæterique probatiores Platonis ſectatores his aduerſantur, quorum opinio (ut arbitror) magis accedit ad Platonis ſententiam; Enimuero fieri non poteſt, vt conditiones, quæ multùm inter ſe diſtant, & aliquo pacto inter ſe pugnant, in eandem rem omninò accommodentur: ſed Dei, Mentis, & Animæ proprietates longè ſunt inter ſe diuerſæ, & quodam modo contrarię, nam Deus eſt Vnitas immobilis, Mens multitudo immobilis, & Anima multiplex, ac mobilis, nõ igitur recipiendum eſt hęc eſſe re unum, & idem. Deum eſſe Vnitatem ſimpliſſimã ex eo conficitur, quoniam ſi ex pluribus compoſitus eſſet, & minimè ſimplex, ex aliquo conſtet oportet, quod habeat rationem materiæ, ac poteſta-

tis, & ex aliquo, quod ſit ueluti forma, & actus: Verũ ſi Deus ſit huiuſmodi, nõ omni ex parte erit perfectiſſimus, neq; ſummam vndique habebit perfectionem, cùm in eo pars, quæ formæ, & actus obtinet proportionem, alteri, quæ eſt tanquam materia, & poteſtas, plurimùm præſtet dignitate; neque prætereа erit agens primum, quia non ſe toto efficit quicquid molitur, ſed altera parte, quæ forma, & actus exiſtit, quæque omnem uim præſtat compoſito ad agendum. Deus igitur eſt Vnitas maximè ſimplex. Idem eſt immobilis, quoniam quæcunque mutantur, priuationem habent admiſtam, ſed Deus, qui eſt actus ſimpliciſſimus, caret omni priuatione, Deus igitur nullius particeps eſt mutationis. Mens quòd ſit numerus, & multitudo, uel illud manifeſtiſſimè confirmat, quòd ipſa componitur ex eſſentia & eſſe, atque habet in ſe uim intelligentem, actum intelligendi, plurimasq; ſpecies rerum in intelligentiam cadentium. Neque iniuria multitudo fuit Menti deſtinata, quoniam cùm hæc in primo ſuæ creationis momento eſſet natura informis, indefinita, apteque accõmodata à ſuo authore illuſtrari, ad illum conuerſa ſuſcepit actum intelligendi, & formarum, idearumque ornamenta; Quapropter Mens ex pluribus conſtat, atque ex actu, & potentia omnino componitur. Iſtud Plato in Philebo perſpicuè ſignificauit, ubi ait Deum eſſe rerum omnium terminum infiniti expertem, cætera autem præter ipſum omnia ex termino & infinito eſſe concreta: Terminus illi deſignat actum, infinitum poteſtatem indefinitam, quæ ab actu formatur, & definitur. Animam uerò eſſe numerum, & ex multis partibus conſtare cùm per ſe patet, tum Platonis Timæus non obſcurè explicauit. Eandem eſſe mobilem uaria illius munera demonſtrant, in quibus nequit ſeſe exercere, & ex otio, operationiſque uacuitate in actum proficiſci, niſi motioni ſubijciatur. Hæc per ſeipſam eſt mobilis, quoniam quicquid in aliquo genere primùm ex aliqua affectione denominatur, id per ſeipſum habet huiuſmodi affectionem, ut quod primùm eſt lucidum, aut calidum, id per ſe, & ſua natura lucet, aut calet, ſed illud mobi

de, quod primum occurrit nobis à Deo per Mentem ad inferiora deſcendentibus, eſt Anima, ergo exiſtimandum eſt Animam per ſeipſam moueri. Huius rei inde quoque argumentum capere poſſumus, quòd omnia inanimata motu agitantur exterius, quæ autem animata ſunt, ea motu cientur interiore, ſi igitur Anima præſtat corporibus, ut ſua ſponte moueantur, concluditur ipſam uerè, ac primò per ſeipſam moueri. Hinc Pythagorici, quos poſtea Xenocrates fuit imitatus, Animam definiuerunt numerum, qui per ſeipſum moueatur, hoc eſt naturam ex multis partibus conſtantem, quæ ſua vi, & proprietate mouetur. Ex his poſſumus intelligere Deū eſſe fontem, & principium Vnitatis, Mentem multitudinis, Animam commotionis, Deumque per ſeipſum eſſe Vnitatē, Mentem ex Deo nanciſci vnitatem, & ex ſeipſa multitudinē obtinere; Animam denique, quòd ſit una, Deo acceptum referre, quòd ſit multiplex, Menti, & quòd moueatur, ſuæ ipſius naturæ. Sed de his hactenus, quæ copioſè habentur apud Ficinum lib. 1. & 4. Theologiæ, quanquam hic patiatur calumniam, quòd uidetur ſentire Mentem, & Angelum non re; & eſſentia inter ſe diſſidere, adſcribens Angelo hæc, quæ Menti ſecundò Diuinitatis gradui à nobis fuere attributa, aſſerensque Angelum eſſe multitudinem immobilem, quod certè non eſt ferendum, quoniam Angelus ſignificat Dæmonem infra Diuinitatem omnino conſtitutum, penitus corporeum, atque mutabilem, ut aliò declarabitur loco, qui ob aſſiduum nunciandi officium fuit Angeli nomine appellatus. Cùm igitur (ut ad rem propoſitam accedamus) primorum principiorum conditiones, & proprietates ualde inter ſe differant, relinquitur, ut ipſa quoque ſint inter ſe multùm differentia. Huius præterea nobis fidem facit illud dictum in epiſtol. 2. ad Dionyſ. *Circa omnium Regem omnia ſunt, ipſiusq; gratia omnia ſunt; ipſe pulchrorum omnium cauſſa; circa Secundum ſecunda, circa Tertium tertia.* Quę Platonis uerba hunc habent ſenſum: In tres naturas per ſe ſubſiſtentes ſeſe propagat Diuinitas. Eſt enim ſupremus, altiſſimusque Deus, ipſum per ſe

Bonum. Hic rerum omnium eſt rex, quia cuncta ab illo tanquam à principio deducuntur, & cuncta ad illum tanquam ad finem referuntur. Ipſe quoque omnium pulchrorum cauſſa dicitur, quoniam manat ab ipſo Mens totius pulchritudinis exemplar, & fluit uis quædam, à qua ideæ in Mentem, notiones in Animam, & formæ in materiam inducuntur, ut hæc omnia ſingulari, & excellenti pulchritudine condecorentur. Nam quemadmodum Solis lumine prata, atque uiridaria illuminante, mirabilis quidam decor, aſpectuque iucundiſſimus in herbis, & floribus elucet, Sic diuiniſſima Dei luce Mentem, Animam, & materiam illuſtrante incredibilis quædam uenuſtas in his exiſtit, quam communi nomine pulchritudinem ſolemus appellare. Pulchritudo enim nihil aliud eſſe uidetur, quàm ſummi Dei lux per Mentem, Animam, & materiam longè, lateque diffuſa. Atque hinc manifeſtè intelligi poteſt Deum non eſſe ipſum Pulchrum, quod multi perperam ſenſerunt, ſed quid diuinius omni pulchro, fonsque, & principium totius pulchritudinis. Circa igitur Deum omnia ſunt, ipſeque pulchrorum omnium eſt cauſſa. Secundo loco ponitur Mens, circa quam ſecunda ſunt, hoc eſt Anima, & ipſius notiones, quæ de ijs ſunt ſecundæ, quæ à Deo proficiſcũtur. Deinceps ſequitur Anima uniuerſi, quæ à tertijs undique cincta finem imponit diuinitati; hucuſque enim diuina procedunt. Tertia uocitantur Plotino interpretante ſub exitum libri quomodo idearum exiſtit multitudo, hæc ſenſilia, ſiue hic noſter mundus ab Anima dependens. Iſtud Platonicorũ dogma Ægyptiorum fuiſſe decretum teſtis eſt autor, qui de ſecretiore ſecundum Ægyptios philoſophia opus exarauit: Hic libro illius operis quinto ſcribit, rerum omnium conditorẽ primam omnium Mentem procreaſſe, cuius vi reliquorum eſſentia conſeruatur, hac inferiorem eſſe Animam uniuerſi, quæ huius eſt forma abſoluta, omniumque rerum, quæ ſequũtur, quibus ſingulis pro ſua conditione propriam qualitatem tribuit, nonnullis nobiliorem, aliis inferiorem. Animam ſequi ipſam naturam, cuius ui pocreantur, & conſeruantur

omnia, quæ cum materia prima ita cohærent, ut ab ipſa nequeât ſeparari. De his tribus principijs multa ſeparatim à Platonicis tractantur, ex quibus pauca paucis perſtringere haud forſitan uidebitur à noſtro inſtituto alienum. Primùm autem placet à Deo exordiri qui diuinitatis obtinet principatum, mox de Mente, & Anima mundi ſigillatim dicere.

Deus quibus nominibus à veteribus & Platonicis nuncupetur. Cap. IIII.

ETsi totius naturę cognitio grata, & frugifera ſit, nullus tamen locus ſuauior eſt, atque feracior, quàm de Deo, ſiquidem non ſolùm ex eo ad constanter, honeſteque uiuendum maximos fructus capere poſſumus, uerùm etiam in eo diuerſantes illius ipſius Dei, quem contemplamur, quodam modo nos fieri participes eſt neceſſe; quo quid uberius ad vitæ commoditatem? & aptius ad mentis iucunditatem? Porrò tam recondita, tam abstruſa eſt huius rei contemplatio, ut quantò diutius conſideratur, tantò obſcurior uideatur. Tentabimus tamen paucis multa attingere (paucis, quia de ſimpliciſsima Vnitate; multa, quia de re infinita futura eſt conſideratio) eaque decerpta ex antiquiſsimis philoſophiæ ſacrarijs in medium proferre. Deum eſſe hæc demonſtratio inter omnes maximè uidetur Ægyptijs perſuaſiſſe: Cùm nihil ſit poteſtate, quod poſsit ſua vi in actum prodire (non enim rationi conſentaneum eſt aliquid à ſe ipſo, ut ab agente exiſtere, alioquin cùm agens omne ea re prius habeatur, quam ſua uì efficit, idem ſe ipſo in una, & eadem ratione prius eſſet, atque poſterius, quod manifeſtè falſum eſt) ratio nos admonet neceſſariò aliquod, quod ſit actu, antecedere, atque iſtud purum actum exiſtere, quòd nihil poſsit habere, à quo in actum proferatur. Quicquid uerò eſt huiuſmodi, id eſt ens neceſſarium, perpetuum, incommutabile, à quo actiones omnes manant, & cuius nutu poteſtas omnis in actum excitatur. Porrò eſſe Deum, cuius nu-

mine

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mine omnia regantur, omnibus adeo innatum eſt, ut qui uo luerit in hoc confirmando multa argumenta conquirere, fruſtra laboret. Nulla gens tam barbara eſt, nemo hominum tam ſtupidus, cuius mens Dei opera non perceperit, nam in vniuerſo tot diuinæ artis munera elucent ſingula pulchra, rectè dimenſa, nec non proprijs inter ſe officiis diſtincta, ut cuiuſuis animus poſſit in magnã admiratione traduci à Protagoræ inſania, & à Diagoræ, Theodori'ue Cyrenei ſtultitia, q. Deũ aut mundo exterminantes, aut in controuerſiam uocantes contra ueritatem illam ſanctione negare uoluerunt, quæ infinitis propè ſeculis ab ingenijs præſtantisſimis ſine ulla ambiguitate fuit aſſerta. Deus à priſcis fuit multis nominibus nuncupatus, non quidem ut Dei natura ſignificaretur, quæ, quia vnica eſt, atque ſimplex, ſi foret nominanda, unicum nomen eſſet illi imponendum, ſed ut multa, uariaque à Deo profluẽtia ſignificarentur. Horum nominum quædam affirmant, & alia negant, quippe duo ueniunt de Deo in noſtram cogitationem, unum, quomodò inde omnia effluant, cunctaque dependeant; alterum, quomodò ipſe ab omnibus eſt interim ſegregatus. Prima ratione cuncta, quæ manant à Deo, poſſumus de ipſo affirmare, quaſi nõ inde potuerint proficiſci, niſi prius illic extiterint, nullamque habeant perfectionem, quæ Deo non inſit modo perfectiori, quicquid enim perfectionis eſt effectui attributum, id uel multò præſtabilius in cauſſa cõtinetur. Secunda ratione ſingula de Deo rurſus negare debemus, quoniam nihil prorſus eſt eorum, à quibus eſt maximè ſeparatus. Hoc igitur cùm Parmenides Pythagoricus intelligeret apud Platonem in Parm. omnia de Vno rerum principio negauit pariter, & affirmauit, in hoc imitatus eſt ueteres Theologos, qui Deum partim tanquam nomine carentem, partim ex omni nomine celebrarunt, & Mercurium, qui ſcripſit in Pim. Deum habere omnia nomina, quoniam vnus eſt pater, & nullum habere, quia pater eſt omnium, atque ſuper omnia. Nomina uerò, quibus de Deo aliquid negamus, ſunt euidentiora, longeque ueriora, quàm quibus quodpiã

affirma-

affirmamus, quia multò plus eſt id, quod eſt Dei à rebus ſingulis abiunctum, quàm quod rebus eſt communicatum, hoc enim eſt finitum omnino, illud autem prorſus infinitum. Quare nullis uocibus tam plenè Deum ſignificamus, illiusque naturam aperimus, quàm ijs, quæ noſtram indicant ignorationem, nimirum ubi Deum nominamus non ens, infinitum, ſupra eſſentiam, ſupra uitam, ſupra intelligentiam, & id, quod fugit noſtram cognitionem; quæ negationes in Deo haudquaquam defectum ſignificant, ſed exceſſum; atque ea ratione attribuuntur Deo, qua excellens ſenſibile dicitur inſenſibile, & lumen Solis inaſpectabile. Iſtas igitur attributiones in Deo veteres conſiderantes uarias illius nomenclationes induxerunt, quarum paucas declarabimus, ne quod gratia operis ſumitur, plus opere ipſo uideatur. Deum ſapientisſimi quique veterum Patrem nũcuparunt, Patrem inquam Mentis, cuius eſt procreator. Etenim cùm Deus maris & fœminæ rationem habeat (quod Ægyptij quoque atteſtantur) ſitque uita, & lumen, ex ſe parit Verbum, tanquam lumen de lumine, Mentem ſcilicet totius mundi effetricem. Eundem præterea ueteres, & Chaldæi, Vnius, & Boni nominibus uocitarunt: Vnum dixerunt, ut per hoc ſignificarent non eſſe plures Deos, ſed vnum, atque ita unum, ut neque ex pluribus ſit compoſitus, neque ulla ratione diuiduus: Bonum, ut illius beneficia indicarent, quæ pro cuiuſque facultate in omnia, quæ ſunt, & nõ ſunt, latè propagantur. Has nomenclationes Ægyptij retinuerunt, & Platonici aptè Deo conuenire multis modis expoſuerunt. Aſsyrij quoque Deum, quem ſummum habuerunt, ac maximum coluerunt, Adad uocauerunt, quod apud ipſos vnum ſignificat. Hinc Platonici mundi nomen Deo tribuere noluerunt, quia mundus ſignificat ornamentum ex pluribus compoſitum, Deus autem eſt Vnitas ſimplicisſima expers omnis coagmentationis. Illud uerò non ignorandum eſt in Platonis foro triplex Vnum diuerſari, unum ſupra eſſentiam, alterum in eſſentia, tertium poſt eſſentiam. Vnum ſupra eſſentiam eſt Deus, de quo loquimur, ineffabilis, ſupra omne ens,

ſupra omne pulchrum, & intelligentiam: Vnum in eſſentia eſt Mens, quæ, ut ſuo apertiùs loco explanabitur, prima eſſentia, & primum ens nominatur. Vnum poſt eſſentiam tribuitur Animę mundi, quæ poſt Mentem primam eſſentiam locum habet in ratione rerum. Eadem poteſt uideri Pythagoreorum opinio qui, ut ex Moderato Pythagorico recenſet Simplicius lib. 1. phyſ. com. 75. prodiderunt, tria Vna reperiri, primum ſupra id, quod eſt, & ſupra quamuis eſſentiam: Secundum, quod uerè eſt, ac percipitur intelligentia, in formis, & ideis. Tertium animale, & in anima, atque Vnius, & idearum particeps. Poſtremam uerò ab his eſſe rerum ſenſilium naturam, quæ ne quidem illis participat, ſed quadam illorum imagine tantùm exornatur, cùm quę eſt in eis materia, ſit adumbratio illius, quod non eſt. Inter hæc illud dignitate antecellit, quod eſt Vnum ante eſſentiam. Hoc ſimplex penitus agnoſcitur, prorſuſq; indiuiduum ſuper omnes res creatas ſupereminet, & ab omni compoſitione longiſſimè abeſt. Hoc, ut inquit Mercurius in Pimandro, eſt rerum omnium principium, omnemque numerum continet à nullo numero comprehenſum, omnemque gignit numerum ex nullo numero genitum. Plato nobis iſtud in Parm. ſignificauit, quo in loco poſtqnam multas conditiones Vnius enarrauit, adiecit nullum nomen ei inditum eſſe, nullam dari illius definitionem, nullam ſcientiam, aut ſenſum, aut opinionem eius haberi: Itaque nec nominari, nec cogitari, nec ab ente ſentiri. Mens autem quamuis & ipſa habeat vnitatem, quippe quæ naſcens ex Deo retinet naturam paternam, attamen non eſt pura, ſimplexque unitas, nam facit numerum, cùm ſit ſecunda, & ab ea incipiat numerus, ſed minùs una, quàm ſit prima Vnitas. Nec uerò dici poteſt omnino multa, ſed unum multa, ut pote quòd in ſe una ſit, ac in rerum intelligibilium, hoc eſt idearum multitudinem declinet. Vnitas tamen in ea ſuperat multitudinem, hæcque illius efficacia cogitur in unum. Quo forſitan factum eſt, ut illam Pythagorici quandoque dixerint Vnitatem. Compoſitionis præterea particeps eſt Ani-

ma mundi, quin immo hæc longiùs abeſt à primæ Vnitatis natura, quia ex pluribus conſtat, & in ſe coercet maiorem, quā Mens, multitudinem. Hoc ueteres Platonici ut ſignificarent, ſcripſerunt primatum omnium rerum eſſe Vnitatem, Mentē Vnum multa, Animam Vnum & multa; copulam huic addiderunt, quia à primo Vno magis diſtat quàm Mens, tertio loco exiſtens. Primum Vnum, & ineffabile, quod poſuimus eſſe rerum omnium primum initium, eſt illud Bonum, in cuius contemplatione omnis noſtra felicitas eſt poſita, & collocata. Iſtud enim eſt uerè, ſummeque Bonum, ac illius participatione omnia, quæ ratione quacunque ab hominibus inter bona numerantur, bona dicuntur, in qua pro vt ad ipſum magis minuſue accedunt, eò magis minuſue participant bonitatem; non enim fieri poteſt, ut unica ratione ſingula Bonum nanciſcantur, cùm ad exactam illius participationem non omnia ſint æquè accommodata. Vnum eſſe ipſum Bonū hac ratione poteſt perſuaderi. Bonum eſt illud, ad quod appetendo omnia referuntur, atqui res omnes Vnius tenentur cupiditate, quòd omnia vnde effluxerunt, illuc appetendo confluunt; ergo Vnum eſt ſummum Bonum; & quia eſt Bonum, dicitur ſufficiens, expetendum, atque perfectum, quæ, vt liquet ex Philebo, ſunt Boni attributa. Sufficiens nuncupatur, quoniam nihil externi requirit, & ſeipſo cōtentum eſt, cùm omnia, quæ ſibi ſunt neceſſaria, in ſe habeat poſita, & collocata. Expetendum, quia rerum omnium ciet appetentiam, quæ ipſius indigent, & ad ipſum referuntur. Perfectum, quia nullam poteſt recipere adiectionem. Rurſus eadem ratione dicitur principium, medium, & finis, quoniam quæ maxima illius eſt Bonitas, in ſeipſo permanens producit res omnes, productas ſua vi incendit, & rapit in ſui cupiditatem, accenſas, & raptas ſuæ Bonitatis largitate perficit, atque complet. Hinc Hoſpes Athenienſis lib. 4. de legibus, *Deus, inquit, vt antiquus quoque ſermo teſtatur, principium, finem, medium rerum omnium continens, rectà ſecundum naturam peragit omnia circuens.* Antiquo ſermone ſignificat Orpheum,

qui in ſcriptis hæc reliquit: *Iupiter principium; Iupiter mediũ; Ex Ioue nata ſunt omnia; Iupiter fundamentum terræ, cæliq́, ſtelliferi.* In eandem ſententiam Ariſtoteles lib. de mundo ad Alexandrum hôc modo concludit; *Deus (ut eſt uetuſto uerbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium continens, rectaq́, linea incedens operatur ille quidem ſecundum naturam è veſtigio comitem habens iuſtitiæ præſidem.* Cæterùm cùm dicimus Deum eſſe Bonum, & Vnum, nomina hæc ueluti abſtracta ſunt in Deo accipienda, quod idem dictu eſt Deum eſſe Bonitatem, & Vnitatem. Etenim abſtracta nomina multò aptiùs de Deo enunciantur, quàm concreta, quoniam hæc ſignificant ea, quæ non à ſe, ſed ab alio habent denominationem, ſic lucens ob lucem dicitur lucens: illa uerò ex aduerſo ſignificant quæcunque à ſe, non ab alio denominãtur, ut lux quòd luceat, à ſe non ab alio dicitur obtinere. Quapropter ſi concreta nomina uerè, ac propriè Deo attribuantur, abſtracta ab hoc alia eſſent, eodemque priora quodã modo, quod eſt maximè nefas. Adde quòd abſtracta abſolutam, & ſimplicem perfectionem indicant nulla alterius rei permiſtione contaminatam; concreta uerò perfectionem quandam ſubiecto inhærẽtem, quam ſine flagitio non licet Deo attribuere. Hinc Plotinus lib. quòd intelligibilia non ſint extra Intellectum, Deus, ait, eſt quidem ipſum Bonum, articulo præpoſito, non autẽ bonus, quia cùm ſit ab omni concretione ſeparatus, & in ipſo ſit ſumma bonitatis perfectio, nulla præditus eſt bonitate. Cùm Deus primum omnium rerum principium ſit Vnitas, & Bonitas perſpicuum eſt cur Vnius, & Boni ueſtigia in cunctis ſint, & agnoſcantur. Enimuerò cùm ab his cuncta manauerint, ſequitur, ut & omnia hæc appetant, atque ad hæc referantur, ut pote quæ ſuum principium repetant, & eatenus ſint, quatenus habent bonitatem, & participant vnitatem. Ad hæc Vnitas, & Bonitas rebus omnibus longè intimior eſt, & magis neceſſaria, quàm anima corpori uiuenti, ergo ſi hæc in corpore uiuente vbique eſt, nec ulla eſt pars corporis uiuentis, quæ non fungatur animæ muneribus, ſatis patet Vni-

tatem,& Bonitatem ubique reperiri,& per omnia propagari, Vnitatem, & Bonitatem ſingulis rebus magis intimam eſſe, quàm animam corpori uitam habenti,illud monſtrat,quòd ſi tollas animam è corpore uiuente, iſtud in nihilum minimè occidit, at ſi è rebus auferas Vnitatem,& Bonitatem,nihil ipſarum erit omnino. Ex his intelligitur, quàm cęca,& temeraria fuerit Gnoſticorum opinio,qui ſupra Vnum,& Bonum ne ſcio quid ſomniarunt, nam Deus ſumma Vnitas, ſummaque Bonitas huiuſmodi eſt, ut nihil ipſo ſuperius, nihil ipſo diuinius poſsit excogitari. Sed de Deo primo rerum principio hactenus dictum ſit, huius etenim diuinitas, cùm uerba, & cogitationes deficiant, eſt potius ſilentio ueneranda, quàm verbis temere uiolanda. Quòd ſi quis ducatur plura ſciendi auiditate, is adeat Dionyſium, qui diuinus Dei nomina diuiniſſimè explicauit.

Quæ Platonicos impulerint, ut ſtatuerent ex Deo fluere Mentem,& Verbum, per quod omnia facta ſunt. Cap. V.

DEinceps de Mente diſputandum eſt. Cùm Platonici animaduerterent fieri nõ poſſe, ut aliquis in ordine rerum ubi ad Animã peruenerit, in ea conſiſtat, quæ fuit Varronis, & Manilij exiſtimatio, ſed oportere ulterius progredi, & ad aliquod aſcendere, quod animæ multùm anteſtet præſtantia, atque dignitate, Mentem induxerunt inter Animam,& Deum interiectam. Non eſſe in Anima conſiſtendum, ita confirmant. Quòd ſua natura eſt mobile, non poteſt eſſe primum rerum principium; id cauſſæ eſt, quia cùm iſtud per ſuam mutabilem functionẽ cuncta efficiat, nullus erit ſtatus in ijs, quæ natura conſtant; at hic adeo eſt neceſſarius, ut nec motus ipſe poſſit ſine eo permanere: Etenim primæ cælorum circa idem cẽtrum, eoſ-

demque polos reuolutiones, & ſiderum reſtitutiones, quòd ordine, certisque temporibus conficiantur, habent à ſtatu, hoc eſt, à motricis uirtutis ſtabilitate, quæ niſi in ſua ui permanerret, nec ullus in motu ordo ſeruaretur, nec ulla motionis eſſet æquabilitas, immo nec motus ipſe diutius continuaretur. Verumenimuero anima ſuapte natura, ac ſemper mouetur; ergo ſupra animam eſt ipſum naturæ principium. Præterea quicquid per partem tale eſt, per illud eſt tale, quod ſe toto, ſuaque natura tale eſt, ſicut lignum ex parte calidum propter ignem incaleſcit, qui ex toto calet: ſed animā non ſe tota, ſed per partem quam mentem nuncupamus, eſt intelligens, ergo ſupra animam eſt Mens, quæ ſe tota, ſuaque eſſentia eſt intelligens. Poſtremò cùm Anima ex poteſtate intelligendi in actum traducatur, nulla ratione iſtud fieri poterit, niſi aliquod diuinius anima conſtituatur, cuius efficacia hæc actum nanciſcatur, & ex poteſtate intelligente actu intelligens efficiatur. At quod huiuſmodi naturam habet, id ſua ui, actu, ſemperque intelligens ſit, oportet fateri, quod Mentem appellamus. Enimuero quemadmodum in genere uiſilium lumen, quod eſt actu, ſuaque natura uiſile, in cauſſa exiſtit, ut colores actu viſiles reddantur, actuque moueant ſenſum oculorum, eadem ratione in genere intelligibilium id cæteris cauſſa erit, ut euadant actu intelligibilia, & intelligentia, quod ſua natura eſt actu intelligens, & intelligibile. Hæc uidentur habere affinitatem cum ijs, quæ lib. 3. de anima diſſeruntur ab Ariſtotele de natura, & munere Mentis Effectricis, de qua quidem re quid ſentiendum ſit iuxta Ariſtotelica decreta obſcurū, difficileq; eſſet dijudicare, niſi præceptor meus Antonius Montecatinus, uir cùm admirabili integritate uitæ preſtans, tum ſingulari philoſophiæ, ac omnium bonarum literarum cognitione excultus omnes difficultates amputaſſet, & omnem caliginem diſcusſiſſet edita illius lectura in eā partem tertij libri de anima, quæ eſt de Mente humana, à Hieronymo Bouio, uiro præter multam diuinarum, politiorumque literarum eruditionem egregia uitæ ſynceritate claro, &

mihi

mihi ſumma familiaritate coniunctiſſimo. Porrò Mentem Platonicam neceſſarium eſt infra primum principium conſtituere, nec ratio nos permitit, ut cum Anaxagora, & Hermotimo in ea immoremur, ſed altiùs iubet aſcendere. Et primũ cùm Mens non ſit penitus ſimplex, ſed numerum habeat, ac multitudinem (quòd in ipſa eſt uis intelligens, actus intelligendi, & res intellecta) unitas autem ſit principium numeri, ergo ſupra Mentem eſt aliquod ſtatuendum, idque prorſus ſimplex, & penitus indiuiduum. Deinde ſi omnia appetendo ad Bonum conuertuntur, & quò rerum eſt conuerſio, illinc eſt emanatio, omnia à Bono, quod eſt à Mente diuerſum, & ipſa præſtabiliùs, ſine ulla dubitatione procedent, illudque primum rerum principium, atque ſupra Mentem erit exiſtimandum. Mentem non eſſe ipſum ſummum Bonũm cùm inde intelligitur, quòd omnia Bonum appetunt, ſed non omnia trahuntur Mentis cupiditate (quæcunque enim cognitionis, & intelligentiæ ſunt expertia, nullam habent innatam ad Mentem cupiditatem, ne fruſtra illud appetant, quod conſequi minimè poſſunt) tum ex eo poteſt confirmari, quia Mens eſt primum ens; at Bonum, & ens maximè inter ſe differunt, quoniam, ut inquit Platonicus Olympiodorus, bonum ſimpliciter deſideramus, eſſe autem ſimpliciter nequaquam, ſed benè eſſe, atque ideo poteſt fieri, ut ſi malè ſit nobis, non eſſe deſideremus. Demum ſi id, quod animam proximè antecedit, eſſet Deus, ac ſupremum totius naturæ principium, res multùm, maximeque inter ſe diſſimiles ſine ullo uinculo copularentur, quod natura pati minimè poteſt. Iſtud uel ex eo conſtat, quòd anima eſt mobilis multitudo, Deus autem unitas immobilis; at hæc inter ſe ſunt diſſimillima, nec ullam habent naturę coniunctionem. Itaque inter Deum & Animam Mens eſt interijcienda, quæ cùm ſit immobilis multitudo, ac proinde cum hac, & illo habeat affinitatem, aptiſſimum erit uinculum, quo Deus, & Anima inter ſe concilientur. Si igitur Mens huius eſt conditionis, patet ipſam neceſſariò ponendã eſſe; nec in ipſa prætereà eſſe conſiſtendum: Hanc ex Deo

emanare

emanare veteres,& Ægyptij,quibus Platonici ſunt aſſeſi,hoc modo confirmarunt. Cùm natura comparatum ſit res omnes naturales, ſi mutilæ, & deprauatæ non ſint, alteram naturam ſibi ſimilem, & ab ipſis dependentem procreare, promptum eſt exiſtimare Bonum ipſum perfectiſsimum ſeipſum propagare,& ab eo Mentem proximè gigni, quæ ſecundum locum obtinet,quæque cæteris plurimùm præſtat diuinitate. Qua enim ratione credendum eſt ipſum omnium perfectiſſimum ſe nequaquam poſſe propagare? aut ipſum Bonum in ſeipſo tantùm ſe quaſi per inuidiam detinere? propriũ enim eſt ipſius boni ſeſe effundere, ſuasque perfectiones longè lateque diffundere. Cæterùm illud hoc loco eſt minimè prætereundum,quod eſt ſumma obſeruatione dignisſimum. Nõnulli veterum ſapientum, quòd ad primi Boni propagationẽ pertinet, tametſi cum Platonicis conſentiant, in eo tamen ab illis multùm disſident, quòd iſtud ex Bono progenitum non eſſe ab ipſo Bono natura diſiunctum arbitrantur, eamque afferunt rationem, quia Deus, qui eſt bonum infinitum,ſe in infinitum propaget eſt neceſſarium. Verumenimuero cùm omnia extra ipſum ſint finita,neque infinitatis capacia, fieri neutiquam poteſt, ut in aliquod extraneum ſuas conferat infinitas perfectiones, ſed in ſe ipſo infinitè propagatur. Iſtud, cui hæc ſumma Bonitas ſeſe communicat, ſummam Æqualitatẽ nominant, quia cùm ſit infinitum, ſuæ infinitatis ratione ſit æquale ſummæ Bonitati. In Deo igitur eſt Bonitas, & Æqualitas, qui quoniam ſumma eſt Vnitas,quæ ſine maxima connexione nequit ſubſiſtere,utriuſque,Bonitatis inquam,& Æqualitatis,maximam fieri connexionem arctisſimo Amoris vinculo eſt rationi conſentaneum. Nemini igitur mirum debet videri, ſi ex veteribus plerique diuino quodam ſpiritu afflati Deum gignere Deum prodiderunt,nam ſummam Bonitatem gignentẽ intuiti fuere,nec non iam genitam ſummam Æqualitatem. Eandem fermè rationem argumentandi ſequitur Dionyſius lib. de miſt.Theol. *Res*, inquit, *quælibet quo magis bonitate uigent, eo magis ſua quadam propagine ſe communicant.*

Qua-

Quapropter ad infinitum bonum propagatio pertinet infinita. Cùm verò duo infinita eſſe non poſſint, meritò infinita Bonitas, rurſusq́; immenſa Bonitatis *propago ſunt una natura, ipſa uidelicet ſumma Bonitate ſeipſam intra ſe propagante. Tum uerò quoniam omnis amor ad* Bonum *neceſſariò fertur, conſequens eſt penes infinitum Bonũ, eiuſdemq́; propaginẽ infinitam infinitũ quoq; Amorem, Spiritumq́; amatorium ad ſeipſum intus exiſtere.* Sed eo reuertamur, unde huc declinauimus. Boni propagationem Plotinus lib. de tribus ſubſtantiis rationem principij obtinentibus ſic diuinitus explicauit. *Procul eſto nunc à nobis generatio temporanea verba de ſempiternis in præſentia facientibus, & ſi quando inter loquendum generationem illis attribuamus, ratione cauſſæ, ordiniſq́; cuiuſdam generationem in medium adducemus. Quod ſemper eſt perfectum, ſemper gignit, & ſempiternum; minus autem genitum genitore. Quidnam igitur de perfectiſſimo eſt dicendum? Nunquid* Nihil *prodit ab eo? an potius ab eo prodeunt, quæ omnium maxima ſunt poſt ipſum? Maximum uerò poſt ipſum eſt* Mens, *atque ſecundum. Inſpicit enim Mens illud, ſoloq́; illo indiget, atque cæteris omnibus, quę fiunt, eſt melior, ac diuinior, quippe hæc ſint poſt ipſam. Quod uerò ex primo, & perfectiſſimo gignitur, dicendum eſt ſuperiore non agitato gigni, alioquin ſi moto illo aliquid generetur, certè id, quod gignitur, non ſecundum, ſed tertium erit ab illo poſt motum. Quamobrem neceſſarium eſt, cùm illud ſit prorſus immobile, ſi quid ſecundum poſt ipſum naſcitur, id profectò illo neque annuente, neque uoluntate decernente, neque ullo pacto commoto ſubſiſtere. Quo'nam igitur pacto quid'ue nobis eſt circa illud ſtabile cogitandum? lumen undique circunfuſum ex ipſo dependens, ex ipſo inquam penitus quieſcente, ceu fulgor circa Solem quaſi circumcurrens ex ipſo ſemper manente progenitus.* Idem lib. quomodo quod eſt poſt primũ fiat a primo, eandem diuinæ Mentis emanationem hiſce monſtrauit, atque declarauit. *Cùm nobis compertum ſit quicquid ad ſuam perfectionem peruenit aliquid generare, profectò exiſtimandum eſt ipſum omnium perfectiſſimum nequaquàm in ſeipſo ſterile conquieſcere, ſed aliud ex ſe quicquam facere poſſe, quòd ipſa poteſtas omnium eſſe re uera cenſetur. Dein-*

de

de, ſi nihil procedat ab illo, qui poterit eſſe principium? Ergo oportet aliud ab ipſo fieri, ſi modò ſit aliquid præter ipſum, ſiatq́; quicquam ab eis, quæ ab ipſo fiunt. Quòd enim quædam ab eo proxima ſint, neceſſitas ipſa demonſtrat: tum uerò neceſſarium eſt, quod reliqua gignit, eſſe eorum, quæ ſequuntur, præſtantiſſimum, & quod proximè inde gignitur, ſecundumq́; obtinet locum, cæteris eſſe præſtantius. Si igitur qui generat, ipſa Mens eßet, oporteret ſanè, quod inde primò gignitur, eſſe inferius Mente, propinquius tamen, atq; ſimilius. At quoniam quod primò gignit, eſt Mente ſuperius, iccirco quod primò gignitur eſt Mens. Sed cur nam primus ille genitor non eſt Mens? Quoniã Mentis ipſius actio intelligentia eſt, intelligentia unquã ſpectans intelligibile, ad ipſumq́; cõuerſa, et ab eo ueluti definita, atque conſummata, ſuapte quidem natura indefinita, tanquam uiſus, ſed ab intelligibili definita. Ergo quoniam Mens non eſt ſimplex; ſed multiplex, & numerus compoſitionem quandam ex intelligibili & intelligente præſeferens, conficitur, ut primus genitor qui nullius eſt particeps compoſitionis, et nullam in ſe coercet multitudinẽ, non ſit Mens. Hæc Plotinus, quæ quòd digna eſſent intellectu, placuit ad verbum recitare. Cæterùm quia omne genitum appetit genitorem, quem imitando, & cui propiùs accedendo ſuam conſequitur perfectionem, atque abſolutionem, Mens ex Deo genita ad Deum conuertitur, & in illum intuẽs multiplex euadit, & contendens ſe illi ſimplici applicare ab ipſa recedit ſimplicitate aliud ſemper accipiens in ſeipſa multiplicatum. Etenim cùm Deus ſit ſuper omnia; & ad omnia æqualiter ſe habeat, Mens ex Deo non ſuſcipit aliquid omnium, ſed pariter omnia, fitque omniformis habens in ſeipſa rerum omnium formas inter ſe diſcretas. Hæ formæ nihil aliud ſunt, quàm ideæ, quæ ſunt res ueræ, pulchræ, uniuſmodi, & prorſus neceſſariæ: Non enim quæ ſenſibus compræhenduntur, ueræ ſunt res; ſed idearum participationes, & ſimulacra, atque ut Heraclito, Pythagoricisque placet; ſunt rapidi torrentis, continenterque fluentis imagines; quæ (licèt non ſentimus) ſemper nullo remorante refugiunt. Porrò hãc Mentem Ægyptij, & Platonici tum Rationem, & Verbum; tum

filium,

filium, & imaginem Dei, ſiue Boni inte[illegible] nuncupant, illamque ſentiunt Academici, & Pythagorici eſſe mundi opificē, atq; creatorem, quippe Deus illius pater ab omni opere uacet. *Atq; hoc erat,* inquit Amelius *illud Verbum per quod ſemper exiſtens ea, quæ ſunt facta fuerunt quemadmodum & Heraclitus uoluit. Et per Iouem Barbarus ille Verbum cenſet in ordine, dignitateq; principij conſtitutum apud Deum eſſe, et Deum eſſe, et per ipſum abſolutè facta eſſe omnia; & in ipſo, quod factum eſt, uiuens, & uitam & ens fuiſſe, tum in corpora lapſum, carnemq; indutum hominem apparuiſſe oſtendens etiam tunc naturæ ſuæ magnitudinē, omninoq; morte obita reſolutum rurſus ad diuinitatem rediſſe, Deumq; extitiſſe qualis item fuiſſet, antequam in corpus, & carnē, & hominem deſcendiſſet.* Ex his liquet hominem Platonis, aliorumque philoſophorum decretis nutritum uſque adeo Ioannis Euangeliſtæ, quem vocat Barbarum, quòd eſſet Hæbreus, theologiæ myſteria ſuſpexiſſe, ut Verbum confeſſus fuerit eſſe in principio, ac Deum eſſe, omnia denique eſſe ci[illegible]lle, omnibusq; vitæ cauſſam, diſpenſatoremq; eſſe. Publicæ verò ſalutis cauſſa humanam carnem induiſſe, ita tamen ut ex parua, & craſſa illa nebula carnis inuiolabilem, incorruptumque emiſerit diuinitatis ſplendorem. Eandem Mentem primam eſſentiam, primamq; uitam Academici quoque agnominant, illiusq; propria munera dicunt eſſe, viuere, & intelligere quæ per vniuerſum diffuſa ea lege communicantur rebus, vt præſtantiora paucioribus, & minus nobilia pluribus impertiantur; primum enim, quod eſt eſſe, latiùs patet, quàm cætera; ſecundum, hoc eſt viuere, in plura funditur, quàm intelligere; hoc quia omnium eſt præſtantiſſimum, paucioribus eſt demandatum. Mens fit ens, quia ex Bono penitus quieſcēte, & omni opere uacante ſtatim ens exiſtit, & cùm ſua ui ad Bonum moueatur, viuens euadit; cuius lumine corroborata veluti circulo quodam in ſeipſam conuertitur, ſicq; ipſam intelligendo Mens efficitur. Hac in parte libet Procli errorem coarguere, qui primam eſſentiam, primam vitam, primamq; Mentem, re & ſubſtantia inter ſe diſtinguens, atque eſſentiā

uita ſuperiorem, & his Mentem inferiorem exiſtimans longè fallitur opinione, in easq; labitur difficultates, ut multò plures conſtituat gradus Diuinitatis, quàm fuerit à nobis conſtitutum, atque fateatur id, quod eſt, præſtabilius eſſe viuente, & hoc intelligenti antecellere, quo nihil iniquius. Sed iſtud non eſt pluribus refellendum.

Ideæ quid ſignificent Platoni, & ubi poſitæ ſint. Cap. VI.

MENTIS eſſentia non poteſt commodè percipi idearum natura ignorata, iccirco operæpretium me facturum puto, ſi de ideis nonnulla oratione perſtringam. Accedit quæſtionem hanc eſſe magnam apud Platonicos, & propter controuerſias inter Platonem, & Ariſtotelem nobiliſsimam, ac propterea nulla ratione prætermittendam. Vt hæc tractatio in certa capita à nobis diſtinguatur, primùm quæ ſint ideæ, & quales, in conſpectum adducemus; mox vbi ſint à Platone poſitæ aperiemus, deinde quibus rationibus confirmentur, & quas vtilitates ex ſe fundant, declarabimus; poſtremò quid ſint, & quorum ſint, ac nō ſint, edocebimus. Idearum, quæ & ſpecies, formæ, atque exēplaria nominantur Socratem, & Platonem inuentores nequaquam extitiſſe, quod multi arbitrantur, Plato ipſe in ſophiſta affirmauit, & Alcimus prodidit, qui Diogene Laertio lib. 3. recitante literis, memoriæq; mandauit Platonem ab Epicarmo Pythagoræ auditore ideas, & multa dogmata accepiſſe. Iſtud præterea confirmant priſcorum placita, in quibus hoc ideæ nomen fuit ſæpe uſurpatum, perſpicuè uerò Mercurio, & Timæo Locrēſi idea fuit cognita, ſi quidem ab hoc lib. de natura vniuerſi, in principijs numeratur; ille autem in Pimandro multa explicauit, quæ ideas clarè atteſtantur, ut paulò inferiùs exponemus. Quinetiam Mo-

ſes videtur ideas ſignificaſſe; qui poſtquam mundi creationẽ enarrauit, hiſce verbis concludit: *Hic eſt liber generationis cæli, & terræ quando creata ſunt die, quo fecit Deus cælum, & terrã, & omne uirgultum agri antequam orîretur in terra, omnemq́; herbam agri, priuſquam germinaret.* In quorum uerborum explanatione à Philone lib. de mundi opificio hæc diſſeruntur: *An non manifeſtè incorporeas, & intelligibiles ideas memorat è quibus tanquam annulis ſignatorijs exprimi res ſenſibiles contigit. Prius enim quàm terra virgultum proderet, ait in rerum natura uirgultum ipſum fuiße, & priuſquàm herba in agro exiſteret, herbam fuiſſe inuiſibilem; ſubintelligendum autem quòd & ante ſingulas res alias, quas ſenſus indicant antiquiores effigies menſuræq; quibus effigiantur, & metiuntur, iam fuerant: nam etiam ſi particulariter per cenſuißet omnia vir alioqui breuitatis ſtudioſus ſi quis alius, nihilo minus iam dicta pauca hæc eſſent exempla naturæ uniuerſorum quæ abſque incorporeo exemplari nihil in rebus ſenſibilibus perficit.* De ideis multa, & varia Chaldæi conſcripſerunt, quippe qui illas ſenſerunt modò Dei patris cogitationes; modò rationes vniuerſales naturæ, Mentis, & animæ; modò ſeparatas à rebus ſubſiſtentias. De his quoque Chryſipus, & Archedemus Stoici, atque alij complures variè diſſeruerunt: Verùm his omnibus valere iuſsis quæ fuerit Platonis opinio indagabimus. Hac in re controuerſantur Academici, nam Cleanthes ideas apud Platonem cenſuit eſſe notiones. Plutarchus, Atticus, & Democritus vniuerſales rationes in animæ ſubſtantia ingeneratas. Ariſtoteles, & alij de Platone videntur exiſtimare ipſum ſenſiſſe ideas eſſe formas vniuerſales, æternas, immutabiles, ſuaque vi conſiſtentes à materia ſolutas, quarum beneficio tum ſcientia eorum, quæ in mundo continentur, haberi poſſet, tum res ſingulæ generarentur, ad earum veluti exemplarium ſimilitudinem factæ; atque has formas totidem eſſe, quot rerum ſpecies ſingulas ſingulis attributas. Ego ſum illius opinionis, quam Plotinus, & probatiores Platonis aſſeclæ amplectuntur, ideas eſſe rerum ſpecies, & exemplaria, quæ in mundi opifice repoſita ipſi ad intelligendum obijciũ-

tur, & in quæ hic ipſe opifex intuens hunc mundum condidit,& quæ ab; ipſo coercentur, fabricauit. Hæc Platonicis decretis multùm congruere ex ijs,quæ deinceps ſumus dicturi,manifeſtè apparebit. Diſſentiunt præterea inter ſe Platonis explicatores,vbi oporteat ideas collocari, ſiquidem Atticus,Plutarchus,& Democritus ideas animæ attribuerunt. Iuſtinus philoſophus,& martyr Platoni adſcribit, quòd in prima illa ſphæra non errante & primum Deum, & ideas repoſuerit. Theodorus Aſinæus poſuit duas Mentes Anima ſuperiores,primam rerum vniuerſarum ideas in ſe continentem, & alteram ſingularum. Ammonius, & alij putantes Deum eſſe mundi opificem,in ipſo ideas ineſſe pronunciauerunt, quorum ſententia Chaldæorum,& Magorum traditionibus eſt conſentanea;neque ab eadem Mercurius diſſentit, qui in Pim. ſerm. primo aſſerens vniuerſam naturam Dei imaginē poſſidere fatetur in Deo omnium,quæ natura conſtant,exemplaria,& ideas ineſſe:Et ſerm. octauo cùm ait Deum patrem ideis plenum qualitates in ſphæram, hoc eſt formas in materiam,inſerere:atque ſerm.nono dum inquit Deum omnium auctorem cuncta ſibi conſimilia reddidiſſe, quid aliud ſignificat, quàm in Deo rerum omnium ideas contineri?His accedit Dionyſius lib.de diuin.nom.vbi de ideis ita ſentit. *Exemplaria eſſe dicimus in Deo rationes ſubſtantificas rerum, & ſingulariter antè ſubſiſtentes, quas prædeſtinationes Theologia uocat, & bonas,diuinasq́, uoluntates eorum, quæ ſunt. diffinitrices, & effectrices,ſecundum quas ipſe ſuper eſſentiam* Deus, *quæ ſunt, omnia prædeſtinauit,atque produxit.* Ideas uocat exemplaria, & rationes rerum ſubſtantificas, quoniam ſunt ueræ ſubſtantiæ, ad quarum ſimilitudinem omnia,quæ cælorum,& terrarum orbis in ſe complectitur, ſunt generata.Eaſdem affirmat ante hæc omnia ſingulariter exiſtere, quòd in Deo nequaquam ſunt à rebus procreatæ,ſed infinitis antea ſeculis extiterunt, illiſq; rerum omnium autor,antequam ipſæ res in lucem ederentur,ſingulas pręcognouit,condidit, certoſq; fines præſcripſit, quos ſingulæ ſibi proponerent, & ad quos dirigerentur.

Sen-

Senſit Plotinus ideas non in Deo, ſed in Mente à Deo produ ĉta eſſe ponendas, nam ſub exitum lib. quomodò idearum exiſtit multitudo, obſcuram, & tritam Platonis ſententiam explanando: Circa omnium Regem omnia ſunt, illius gratia omnia, ipſe cauſſa pulchrorum; *Vbi Plato, inquit, cauſſam appellat Deum pulchrorum omnium, ponere uidetur pulchrum in ſpeciebus, & ideis propriè conſtitutum; ſummum uerò Deum ſuper uniuerſum hoc pulchrum.* Idem ad calcem lib. de pulchritudine hæc habet. *Efficiatur diuinus quilibet, atque pulcher, ſi modò Deum ſit, et pulchritudinem inſpecturus, ſic enim primùm aſcendet in Mentem, ibiq; pulchras ſpecies omnes contemplabitur, atque affirmabit pulchritudinem illam ideas eſſe. Quod autem his ſuperius eſt, dicimus ipſius* Boni *naturam pulchrum circa ſe effundentem.* Eandem ſententiam in aliis pleriſque locis eſt amplexatus, & præſertim lib. quòd intelligibilia non ſint extra Intellectũ. In Plotini opinionem abiit Porphyrius lib. 4. de hiſt. philoſoph. quo in libro ſcripſit à ſummo Bono ratione quadam hominibus incognita genitam eſſe Mentem ex Platonis ſententia, in qua ſunt ideæ, & omnis rerum ſubſtantia, & quæ primò pulchrum, & per ſe pulchrum eſt, habetq; ſpeciem pulchritudinis. Et antiquior fortaſſe eſt hæc opinio, quando quidem Marcus Varro Plotino, & Porphyrio vetuſtior ideas apud Platonem Mineruam intelligi docuit, quod & Auguſtinus in ſeptimo de ciuitate Dei uolumine aſſeuerauit: Mineruam autem ex Iouis capite natam eſſe fabuloſa illa vetuſtas fuit commenta. Hęc mihi vehementer approbantur, nam cùm Platonis decretum ſit Deum nihil prorſus moliri, & Mẽtem ab ipſo diuerſam cuncta efficere, & ſingula adminiſtrare, in hac, non in illo ideæ ſunt ponendæ, ad quas ipſa reſpiciendo cuncta valeat ad earum imitationem generare, & ſingula conſtanti ordine gubernare. Non enim Mens hunc mundum procreaſſet, & procreatum gubernaret, niſi eum, & cuncta, quæ ab ipſo complectuntur, in ſeipſa intellexiſſet, ac intelligeret; quippe indignum ſit huius Mentis maieſtate eã ex mundi rebus ſcientiam capere, ac delibare. Quod ſi mens

in ſeipſa cuncta intelligit, ſequitur, ut ideæ in ea ſint poſitæ, & collocatæ. Hinc patet vanam eſſe illorum opinioné, qui negarunt Mentem hæc humana habere perſpecta ea ratione perſuaſi, quòd cùm in his mala, & flagitia reperiantur, Mens ſi omnia cognoſceret, hoium cognitione contaminaretur. Iſti decipiuntur, quoniam Mens hæc caduca cognoſcens non ea, ſed ſeipſam contuetur, in qua omnia ſunt optima, atque pulcherrima. Rurſus qua ratione fieri poteſt, vt is, qui ideas multitudinem quandam præſeferentes in Deo conſtituens, qui eſt omnino ſimplex, & nihil habet coagmentatum, non multum abſit à Platonis decretis? Addendum eſt etiam ideas, quæ ſunt quiditates, puræ eſſentiæ à materia ſeparatæ, uereq; intelligibiles, in Mente eſſe locandas, quæ prima dicitur intelligentia, cuiq; id proprij muneris eſt adiunctum, vt per eſſentiam ſuam obeat intellectionem; ac proinde in ea idem prorſus eſt uis intelligés, res intellecta, & actus ipſe intelligendi; non autem in Deo, qui eſt ſupra omne ens, ſupraq; omnem intelligentiam. Deus enim apud Platonem non eſt ens, neque intelligens; quoniam hæc ex pluribus ſunt concreta, illud quidem ex eſſentia, & eſſe, hoc autem ex intellectu, & intelligibili, ſed quid diuinius omni ente, ac intelligente, de qua re multa habentur à Plotino in ſcriptis relicta libro, cui titulus eſt, quòd id, quod eſt ſuper ens, non intelligat. Porrò quamuis in Deo nulla ſit intelligentia, nihil tamen eſt in mundo quod fugiat illius cognitionem: Cuncta verò cognoſcit ſeipſum, vt ait Dionyſius lib. de diuin. nom cótemplando, materialia quidem immaterialiter, partibilia impartibiliter, & vnico intuitu multa, & diuerſa. Nam ſi per vnam cauſſam Deus omnibus eſſentiam impartit, per eandem vnicam cauſſam ſcire poteſt omnia, quippe in ipſo, & ex ipſo ſint, antequam in natura rerum ſubſiſtant. Neque igitur ex rebus ipſarum rerum notionem accipiet, neque aliam quidé ſui, aliam verò aliorum ſcientiam habebit, ſed ipſe omnium cauſſa ſe cernens modo perfectiſsimo ſingula, quæ ab ipſo ſunt, quorumùe cauſſa eſt, in ſeipſo comprehédit: Atque hac

ratione

ratione Deus cuncta cognoſcit non ulla rerum, ſed ipſa ſui ipſius ſcientia noſcens, quæ cognitio tantùm abeſt, vt uerè dici queat intelligenria, vt illam longè, multumq́; ſuperet dignitate. Sed ad propoſitum redeamus. Poſtremò infra Deum & ipſum Bonum ideas eſſe conſtitutas liquidò patet ex Phædone, ubi ſcribit Plato ad ideas confugiendum eſſe, poſtquã ipſum Bonum aſſequi nequimus; quaſi ſummi Boni natura ideis ſit præſtantior, & excellentior. Verumenimuero licèt Academici probatiores negent in Deo reperiri ideas, ſunt tamen quidam, qui aſſeuerant in eo res omnes contineri, ac ꝑinde quodammodò rerum omnium ideas, quamuis nobiliori modo, quàm in Mente collocentur, & poſſint propriè ideę, exemplaria'ue nuncupari; etenim idea, & exemplar omne poteſt intelligentia accipi, & quatenus exemplar, eſt mente cõprehendi, at ideæ poſitæ in Deo multùm ſuperant quamcunque cognitionem, ſicque in intimis diuinitatis penetralibus occultantur, vt nulli menti ſint exploratæ. His adiungunt ideas non eſſe multas in Deo, quemadmodum in Mente, ſed ſimpliciſsima unitate compræhendi, atque abſoluere, & exiſtere ipſam Dei eſſentiam: Hanc autem non ſubire rationẽ ideæ, ſi abſolutè, & ſimpliciter conſideretur, ſed ea ratione, qua huius, & illius rei exemplar nominatur; quo circa concludunt, ut in una eſſentia plures ponuntur rationes inter ſe diſsimiles, eodem modo ideas in Deo diuidi in plures, atque inter ſe diſtingui, non inquam ſimpliciter, ſed uariis relationibus; quæ quidem relationes à rebus minimè pariuntur, ſed à Deo ſuam cum rebus eſſentiam comparante, & quot, quibuſue modis ſit extra communicabilis, cognoſcente. Sed hæc omittamus, quæ magis olent theologiam, quàm Platonicam doctrinam. Ideas in Mente conſurgere hoc modo declarãt Platonis aſſeclæ. Ex duabus partibus, materia, & forma aſſerunt Mentem eſſe compactam; materiam uocant Mentis eſſentiam penitùs informem, & nondum ideis decoratam; formam idearum ſeriem, & multitudinem; tradũtque Deum generare Mentem informem, obſcuram, ac propè non ens; quo

niam

niam verò à Deo eſt genita, ad idem ſui principium, quà eſt Bonum, ingenito quodam appetitu conuerti, & conuerſam illius radio illuminari, intelligentem fieri, atque ideis expleri. Eſt igitur Mens omniformis, & omnia patris beneficio, qui cùm nulla rerum forma definiatur, merito omnia facit, & ex ſe uno ſuper omnia exiſtente Mentem effundit in ſe omnia complectentem. Addunt ideas non tanquam accidentia, & figuras Menti inhærere, ſed illius eſſentiam complere; & quamuis re, & ſubſtantia à Mente non ſeparentur, inter ſe tamen ex propria natura eſſe differentes, neque ex mutua cõiunctione ſuas amittere, aut inficere puritates.

Mens ideis exornata eſt mundus intelligibilis, ad cuius ſimilitudinem hic ſenſilis fuit procreatus. Caput VII.

CVM in Mente rerum, quæ ſecundum naturam cõſiſtunt, ideæ ſint impreſſæ, meritò ac iure Platonici illam nominant mundum intelligibilem; adeiusque imitationem exiſtimant hunc ſenſilem eſſe procreatum. Itaque ſi quis hunc mundum corporeum oculis perluſtret, & ſingulas ſpecies, quæ in eo continentur, ſibi ob oculos proponat, ac mox ſecum ipſe cogitet, hæc omnia in Mente reperiri, aliquã ſibi poterit in animo effingere mundi intelligibilis adumbrationem. Illud tamen ſemper animaduertat, quæ ſunt in mundo intellectuali, meliorem, ac præſtantiorẽ naturæ cõditionem obtinere: Hìc namque ſingulæ res in perenni fluxu ſunt poſitæ, & niſi recreentur, nequeunt vel temporis puncto in rerum natura conſiſtere; ibi verò res omnes perpetuò manent, fixæ'ue ſunt, neque moueri, neque mutari ulla ratione poſſunt. Rurſus hæc, quæ ſenſibus occurrunt, ſunt materiæ vitijs inquinata, inter ſe contraria; & per corpora diſtributa, at quæ in Mente reperiuntur, à materiæ ſocietate ſunt ſeparata, ſibi mutuò amica, nec ullo

pacto

pacto cum magnitudine implicata. Enimuero tria in hoc mũdo corporeo reperiuntur, materia, dimenſiones,& corporeæ qualitates, ex quibus materiã cognoſcimus eſſe originẽ mutationis, dimenſiones diſtantiæ cauſſas, & qualitates principiũ repugnantiæ: quo fit, vt quæcũq; ſunt his expoſita, propter dimenſiones,& qualitates inter ſe diſtent, atq; aduerſentur, & propter materiam in multas cadant mutationes. Verùm quæ in Mente continentur, quia his minimè ſunt obnoxia, ab ipſorum conditionibus ſunt ſeparata. Verè igitur dixit Mercurius in Aſclepio mundum intelligibilem eſſe incorporeum, nihilque corporei illius naturæ admiſceri; hunc autem ſenſibilem eſſe omnium corporum ſuſceptaculum, quæ ſine mundi intelligibilis beneficio nequeunt conſeruari, & in ſuo ſtatu permanere. Quinetiam in mundo intelligibili omnes rerum ſpecies in ſua veritate conſpiciũtur, illic verus homo, verum cœlum deprehenditur; quę autem in hoc mundo ſenſibus accipiuntur, vera non ſunt, ſed verarum rerum adumbrationes, quamuis vera videantur, & talia iudicentur. Qua de re Socrates in Cratyllo optima ratione dicebat ſe ſomniare circa ideas, quia nos in hoc mundo, quem veluti ſpeluncam ſubterraneam à pueritia incolimus, denſa caligine obuoluti, & arctiſsimis inſcientiæ vinculis cõſtricti idearum, & verarum rerum imagines duntaxat perſentimus, quamuis res ipſas veras in aſpectum cadere exiſtimemus. Quòd ſi Dei conceſſu, aut contemplationis munere ad mundum intelligibilẽ aſcendamus, in quo lux fulget idearum ſplendidiſsima, & vera eſſentia rerum continetur, dubio procul hæc, quæ ſenſibus occurrunt, falſa,& mentita agnoſcemus, nos vitæ huius pœnitebit, in qua nimis credentes ſenſibus à falſis rerum imaginibus illudimur, vixq; poſſumus aſpicere tenuiſsimum ſplendorem illius lucis, quæ in mundo intelligibili adeo clariſsimè ſplendet, vt eius lumen latiſsimè pateat, & ad omnia pertineat. Porrò de mundi intelligibilis dignitate,& eiuſdem ab hoc ſenſili differentijs multa doctè, & copiosè diſſeruntur ab autore ſecretioris ſecundum Aegyptios philoſophiæ, quę ex

illius opere petantur. Ad huius mundi intelligibilis ſimilitudinem hunc corporeum eſſe conditum ſic probant Academici. Cùm videamus peritos artifices nihil rerum moliri, niſi eius rei, quam efficiunt, ſpeciem habeant in animo inſculptã, ratio poſtulat vniuerſum effectum eſſe à primo opifice in aliquam ideam intuente, quæ fuit exemplar huiuſce mundi ad ipſius ſimilitudinem fabricati. Illi verò ſimilem, quantùm potuit fieri, hunc factum oportuit, quia opifex bonus erat, & quod bonum eſt, nefas eſt alicuius rei inuidia tangi. Ex his eruunt Platonici argumentũ, quo ideas eſſe neceſſarias confirmant. Enimuero ſi mundus hic ſenſilis non temere, nec caſu à ſempiternitate in lucem manauit, ſed ad alicuius genitus eſt imitationem, neceſse eſt, vt in Mente ſint cauſsæ exemplares, quas ideas appellamus; nam id, ad cuius ſimilitudinẽ hic mundus conditus eſt, quid aliud eſse poteſt, quam ideas? In hac argumentatione credit D. Auguſtinus lib. 1. Retract. Platonicos dicere Chriſtianæ religioni ſententiam conſentaneam, tametſi apud eos illud vocabulum non ſit vſurpatũ, quod in foro eccleſiaſtico eſt vſitatum; Mundum quippe intellectualem Platonici nuncupant rationem ſempiternam, & incommutabilem, qua Deus hunc mundum condidit, quam qui voluerit inficiari, ſequitur, vt affirmet Deum non certa ratione mundum procreaſse, ſed cœco, & fortuito euentu, & cùm ageret, ignoranter egiſse. Idem lib. 83. quæſt. *Quiſquis*, inquit, *fatetur omnia, quæ ſunt, id eſt, quæcunque in ſuo genere propria quadam natura continentur, vt ſint, auctore Deo eſſe procreata, ſingulaq; eius prouidentia regi. Quo conceſſo quis audeat dicere Deo irrationabiliter omnia condidiße? Reſtat, vt omnia ratione ſint condita; nec eadem ratione homo, qua equus, hoc enim abſurdum eſt exiſtimare. Singula igitur proprijs ſunt creata rationibus. Has autem rationes vbi eße arbitrandum eſt? niſi in ipſa mente creatoris? Non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id conſtitueretur, quod conſtituebat. Quòd ſi hæ rerum omnium creandarum, creatarumùe rationes in diuina mente continentur, neque in diuina mente quicquam niſi æternum, & incommutabile poteſt eße*

atque,

atque has rationes rerum principales appellat ideas Plato, non ſolùm ſunt ideæ, ſed ipſæ verè ſunt, quia æternæ, & ſemper eiuſdem modi, atque incommutabiles manent, quarum participatione fit, vt ſit quicquid quoquo modo eſt. Eadem eſt Philonis explicatio lib. de mundi opificio hoc modo differentis. *Deus vbi pro ſua deitate præuidit imitamentum pulchrum non poſſe abſque exemplari pulchro exiſtere, nec ſenſibile quicquam citra exceptionem probari poſſe, quod non archetypo intelligibilis ideæ reſpondeat, poſtquam decreuit viſibilem hunc mundum condere, prius formauit ſimulachrum eius intelligibile, ut ad exemplar incorporei, Deoq; ſimillimi corporeum abſolueret mundum totidem complexurum ſenſibilia genera, quot in illo intelligibilia.* Et paucis interiectis ſubdit. *Si quis apertioribus verbis uti voluerit, nihil aliud dixerit eſſe mundum intelligibilem, quàm Dei iam creantis verbum. Nihil enim aliud vrbs intelligibilis eſt, quàm ratio architecti iam urbem mente conceptam condere cogitantis. Quæ opinio Moſis, non mea eſt, hic namque hominis generationem aggreſſus ſcribere apertè fatetur ad imaginem Dei hominem eſſe formatum. Quòd ſi pars mundi imago imaginis eſt, patet, quòd tota hæc ſpecies uidelicet uniuerſus hic mundus ſenſibilis ad exemplar diuinæ imaginis factus eſt.* Et paulò pòſt. *Et iam perfectus erat mundus ille incorporeus in diuino Verbo conſtitutus, ad cuius exemplar cùm hic ſenſibilis creabatur, & ante alias eius partes potiſſimam omnium faciebat conditor, cælum uidelicet, quod aptè firmamentum appellauit, ut rem corpoream: Corpus enim natura firmum eſt, ſolidumq;, tres habens dimenſiones. Solidi autem, & corporis quæ poteſt eſſe alia notio, quàm quaquauerſum dimenſio? Iure igitur ita nominauit, vt ab intelligibili, atque incorporeo ipſum ſepararet, quod mox οὐρανὸν, id eſt cælum aptè ualdeq; propriè appellauit, ſiue quia omnium ὅρος, id eſt terminus, ſiue quia primùm ὁρατῶν, id eſt uiſibilium factum eſt.* De his mundis (iſtud quoque adijciamus, quod ad ea, quæ diximus, multum uidetur pertinere) Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromatum ita ſentit. *Mundum,* inquit, *philoſophia Barbara alium intelligibilem, alium ſenſibilem cenſet, illum quidem archetypum, hunc exemplaris imaginem; &*

intelligibilem quidem unitati attribuit, ſenſibilem uerò ſexadi: Connubium enim ſexas à Pythagoricis dicitur, quia fœcundus numerus eſt. In unitate igitur cælum inuiſibile factum eſt, & terra ſancta, et lux intellectualis. In principio enim fecit Deus cælum, & terram, & terra erat inuiſibilis. Et dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux. In ſenſibilis autem mundi creatione ſolidum creauit cælum, (quod uerò ſolidum eſt, ſenſibile etiam eſt) terram uiſibilem, & lucem, quæ cernitur. Sed longius progrediamur, aliaſque rationes conſideremus, quibus Academici ideas confirmarunt.

Quibus rationibus probent Academici ideas eſſe in ratione rerum. Cap. VIII.

ARiſtoteles lib. 1. & 13. poſtnat. ſcribit Platonem ab adoleſcentia factum amicum Cratyllo, & in opinionibus Heracliti, ſententijſque uerſatum, qui uniuerſa ſenſibilia ſemper fluere, nec in eodem ſtatu permanere cenſebat; ac proinde neque eorum perceptionem, & ſcientiam eſſe, quòd hæc rerum æternarum ſit, atque eodem modo ſemper ſe habentium, hæc quidem & poſtea tenuiſſe, atque ita putaſſe. Cæterùm cùm Socrates natura poſthabita circa mores uerſaretur, atque in his vniuerſale quæreret, illudque definiret, diſputans enim de honeſto aliquo, aut alio in uniuerſum quærebat, quid eſſet honeſtum, atque iſtud definire conabatur, huius doctrinam ob eam cauſsā probaſſe, quòd de rebus vniuerſalibus diſputaret, quapropter exiſtimaſſe definitiones quarundam aliarum naturarum & fieri, & eſſe, non autem cuiuſpiam eorum, quæ ſenſibus percipiuntur. Neque enim fieri poſſe, ut communis diffinitio ullius rei ſit earum, quæ ſenſibus ſubiectæ ſunt, cùm ſemper mutentur. Itaque huiuſmodi entia ideas appellaſſe, quæ uerò ſenſibus percipiuntur, prȩter hæc eſſe, & ab his dici. Rationes uerò, quibus Plato ideas confirmabat, multas eſſe, ſed omnium accuratiſſimas illas uideri, quæ ducuntur ex ſcientijs, & unius participatione, atque in hunc modum explicantur:

tur: Quarum rerum ſcientiæ habentur, eæ res ſunt, atqui ſciẽtiæ aliorum, quàm ſingularium habentur, quandoquidem ſingularia ſunt infinita, & multis mutationibus expoſita, ſcientiæ uerò in his uerſantur, quæ ſunt finita, & aliter haberi non poſſunt; ergo præter ea, quæ noſtris ſenſibus occurrunt, aliqua ſunt ponenda; Et hæc ſunt ideę. Huic rationi conſentit illud Platonis in Parm. quod eſt, ideis ablatis nos nequaquã poſſe habere obiecta firma, & certa, ad quę intelligentiam dirigamus, quare ſi ideę auferantur, legitima diſſerendi ars, atque philoſophia peribit. Pręterea cùm omne id, quod à multis participatur, & de multis dicitur, ſit ſeparatum, atque diuerſum ab ijs, de quibus dicitur, & à quibus participatur, nihil enim à ſeipſo participatur, & de ſeipſo dicitur; relinquitur, ut homo communis, qui eſt in multis, ſit ſeiunctus à ſingulis hominibus, eodemque modo cęterę ſpecificę naturę à ſuis ſingularibus: Hæ uerò naturæ ſeiunctę ab indiuiduis ideę appellantur. Has rationes Ariſtoteles commemorat Platonem adduxiſſe in ideis ſtabiliendis. Cæterùm hic in Timæo hanc rationem adhibet ad eaſdem confirmandas. Si intellectus differt à uera opinione, differt etiam quod intelligentia percipitur ab eo, quod cadit in opinionem: atqui illud uerum eſt, nam ueræ opinionis uir quilibet particeps eſt, intelligentię autem Dij quidẽ oẽs, homines autẽ pauci ſunt participes; ergo intelligibilia ſunt ab opinabilibus diſtincta. Verùm cùm quæ ſenſibus attinguntur, potius cadant in opinionem, quàm in intelligentiam, quòd nulla firma ratione poſſunt cõfirmari, & multis ſubiecta ſunt mutationibus, fateri oportet eſſe ſpeciem, quæ ſemper eadem ſit ſine ortu, & interitu, quæque nec in ſe quicquam accipiat aliud aliunde, nec procedat ad aliud quicquã, & ſenſu corporis nullo percipiatur. Atque hoc eſt, quod ad ſolam intelligentiam pertinet, eiusque intentionis eſt proprium. His Platonici adiecerunt, quòd cùm Mens forma ſit ſua ui intelligens, & nullum munus intelligẽdi poſſit abſque intelligibili exerceri, quoniam hoc eſt illius obiectum, habeat intelligibilia oportet, hæcque ęterna, & immobilia,

mobilia, ne ſi hęc mutentur, ſecundum ea Mens ſubeat mutationem, & ſimul cum tempore nouam acquirat perfectionem; at quęcunque ſunt huiuſmodi, ideæ nuncupantur. Prętereà materia eſt per ſe indeterminata, & expers cuiuſcunque formæ, & menſurę, ergo ab alio pręſtantiore, & ab omni materia abſoluto formam, menſuramque accipiat eſt neceſſariũ; & quod ſequitur, non ab re aliquis poſuerit ideas, quę ſunt formæ omni materia carentes. Enimuero quanquam iſta, à quibus formæ in materiam proximè fluunt, ſint rationes animę inſertę, in his tamen non eſt conſiſtendum, ſed altiùs progredi oportet, & ad Mentem, ideasque aſcendere, à quibus pendet anima, defluuntque rationes animę ingeneratæ. Quin etiam hoc inde conſtat, quòd res omnes naturales participatione tales eſſe dicuntur; ergo pręter ea, quę hìc ſunt, formæ quędam à materia ſolutę reperiuntur, quarum participatione alia ſunt huiuſmodi. Accedit quòd ſingulares rerum cauſsæ, vt inſtrumenta primi opificis, ſuas ex ſe fundunt effectiones, atqui hæ quónam pacto fieri poteſt, vt certis, definitiſq; modis ad certas, definitaſq; formas in materia generandas accedant, niſi per certas, definitaſq; formarum rationes in primo opifice exiſtentes dirigantur? Quamobrem in Mente ſunt rationes rerum omniũ exemplares, quibus cauſſæ ſingulares dirigantur. Et quemadmodum formæ tam arte, quàm natura conſtantes in agente magis dilucent, quàm in opere, vel inſtrumentis, ita formæ totius mundi in primo opifice multò ſunt dilucidiores, quàm in cauſſis ſingularibus, & in materia. Rurſus ſi anima, & materia ſunt plenę formarum, quibus ſuas edunt operationes; meritò Mens, quę formatrix eſt animę, & materię, informis eſse non debet. Formis igitur agit, quas ideas appellamus. Materiam ſine formis non ſubſiſtere nemo vnquam inter philoſophos dubitauit; animã verò eſse formis, & rationibus refertam ex eo probarũt Amelius, & Syrianus, quia ſi hoc non fuerit conceſsum, relinquitur, vt anima ſit materia ignobilior: quæ argumentatio non ſolùm animę cõgruit, verùm etiam ideis, & Menti poteſt accommo-

commodari. Amplius cũctis rebus, quę inter ſe numero differunt, & ſingularia vocitantur, vna quędam proprietas eſt communis, quæ percipitur intelligentia, vt humanitas hominibus. Atqui hęc natura communis neque pendet à ſingularibus, quòd his deſtructis ipſa minimè deſtruatur; neque per ſe exiſtit, vt confeſſum eſt omnibus; ergo à quadam natura perfectiore, & ſingularibus ſuperiore dependeat oportet, quam ideam nuncupamus, vt ab idea hominis humana natura, & ab ignis idea ignea natura. Poſtremò arguũt Academici ducto argumẽto ex ſpecierum perennitate, & rerum ſynceritate: Niſi eſſent ideę, ſpecierum perennitates nullas firmas radices haberent, quibus in rerum conſtitutione poſſint cõtineri: Enimuerò res eſt omnium cõſenſione probata, quicquid poſitum eſt in perenni agitatione, cauſſam aliquam poſtulare immobilem commotionis indeficientis, neq; ſolùm communem, verùm etiam propriam, & ſingularem. Itaq; ſpecies rerum ſingulę cùm ęternam habeant indiuiduorum generationem, ſingulę profectò ſingulas habebunt cauſſas immobiles, certas, & ratas, quarum efficacia fluxibilis, & inconſtans indiuiduorum natura perpetuò fluere poſſit. Atqui hę cauſſę quid aliud eſſe poſſunt, quàm ideæ? Non enim huiuſce generis cauſſæ in his, quæ ſenſibus obijciuntur, ſunt exquirendæ, quòd hæc ſingulis momentis ſunt varijs mutationibus obnoxia, neque vel temporis puncto poſſunt in eodem ſtatu permanere. Iſtud in nobis adeo perſpicuum eſt, vt nemo poſſit ambigere. Hinc illud Socratis, ridiculè admodum homines mortem vnam extimeſcere, cùm in dies ſingulos mortẽ oppetant, & ſi rectè animaduertant, multas mortes ſe obijſſe promptum ſit meminiſſe. Mortis vocabulo mutationes hominum appellabat, quibus ipſi dum viuunt, tandiu ſunt expoſiti. Cum hoc illud Heracliti conſentit, omnia labi continuò fluxu, noſque ipſos multos eſſe factos, quamuis quiſque noſtrum vnus eſſe credatur. Cuius rei id inditio eſt, quòd ſæpe, ac ſæpius ea amemus, quæ priùs odio habebamus; multa nunc admiremur, quæ anteà negligebamus; damnemuſque

plurima,

plurima, quorum antehac miro ſtudio tenebamur, non ſermones, non animi affectiones, non cogitationes, curasque habentes eaſdem, quas anteà habebamus. Cùm igitur rerum naturalium formæ ſtatutis temporibus, definitisque modis in actum perpetuò erumpant, atque hac continuata ſempiternis ſeculis indiuiduorum generatione ſpecies rerum efficiantur æternæ, equidem niſi ad ideas te recipias, hasque ſtatuas huius conditionis, vt ex ipſarum propagatione defluant formæ naturales vniuerſum exornantes, & ad firmam ipſarum conſtantiam adnitatur continuata rerum mundanarum ęquabilis generatio, nihil erit; ad quod tutò valeas confugere. Præterea ſi non eſſent ideæ, nihil ſyncerum, nihil purum eſſet in mundi ſtructura, quippe omnia ſint materię permiſta, inchoata, manca, & imperfecta, de ipſisque ſit difficile (vt ait Plato in Timæo) certum aliquid, & firmum aſserere, & præſertim de igne, & reliquis, quę vocantur elementa: Hęc cùm nunquam eadem appareant permanere, quiſnam ſine rubore, redargutionisque ſuſpicione poterit iſtorum aliquid vnū potius, quàm aliud certè, ac firmiter appellare? Quare tutiſſimus in his hic erit loquendi modus: Hoc quod ſemper alias aliter formatum videtur, & plerunque iuxta ignis effigiem, non eſt vtique ignis hoc aliquid, ſed tale, id eſt igneum quiddam; nec aqua hoc aliquid, ſed tale quid, id eſt aqueum, nec aliud quicquam velut vllam habens ſtabilitatem. Denique nec pronominibus quidem vllis hęc ſignāda ſunt, quibus in rei cuiuſlibet demonſtratione cùm hoc, vel illud dicimus, vti ſolemus. Fugiunt enim, nec expectant vel eam demonſtrationem, quę hoc, & huius, & huic deſignat, vel appellationē, quæ de his tanquam de exiſtentibus, & ſtabilibus habetur. Igitur huiuſcemodi omnia neque hoc, neque illud, ſed tale potius, aut tale per ſimilitudinem aliquam appellare debemus. Et ignem quidem vbique tale, ac de cęteris, quę gignūtur eodem pacto. Quapropter ideas in Mente oportet conſtituere, quæ ſunt materię expertes, res verę, puræ, perfectę, & ab omni contrarij permiſtione abſolutę, quibusque demonſtra-

tionis pronomina propriè aptantur. Enimuero huiuſmodi pronomina ijs duntaxat propriè adiungũtur, quæ verè, ac per ſe ſunt. Quocirca nemo vnquam rectè poterit hominẽ mortalem appellare ipſum hominem, & pulchrum, quod cernitur oculis, ipſum pulchrum, quoniam his vocibus propriè ſignificantur ideæ hominis, & pulchri, quæ verè, & per ſe exiſtunt. Hæ ſunt rationes firmiores ideas confirmantes, quibus vt maior fides habeatur, nunc idearum vſus ſunt enarrandi.

Ideæ quas vtilitates dicantur ex ſe fundere. *Caput IX.*

EX idearum vtilitatibus aliæ ad Mentem pertinẽt, quædam ad ordinem, & conſeruationem vniuerſi, & nonnullæ ad hominum commoditates. Ideę Menti, & ipſius functionibus conducunt, quoniã hæc dum in formas ſibi congenitas intuetur, ſeipſam contemplando cuncta intelligit, & omnia cognoſcendo ſingula producit, productaq; ſeruat, regit, & moderatur. Conferunt ordini partium vniuerſi, earundemq́ue diſtinctioni, ac varietati, quoniam nefas dictu eſt ordinem in mundo caſu contigiſſe, cùm rebus omnibus naturalibus certus finis ſit præſcriptus, ac omnibus, quæ gignuntur, & gignunt, varia, ac neceſſaria inſtrumenta, quibus valeant ſua munera exequi, ſint attributa. Neque quodlibet fit ex quolibet, vel mouetur ad quodlibet, ſed certis fiunt omnia modis, ſemperq́ue, atque eodem modo. Neque illi ſunt audiendi, qui hanc rerum diſtinctionem affirmant à materia prouenire, nam hæc ſuapte natura eſt indefinita, in omneſq́ue formas inclinatione propendet, quo fit, vt tantùm abſit ipſam in rebus natura cõſtantibus eſſe cauſſam ordinis, & diſtinctionis, vt confuſionem pariat, & perturbationem. Rurſus diſtinctio rerum ſecundum ſpeciẽ fluit à forma, quæ ſola ſeparat, & diſtinguit, ergo ad materiam non eſt referenda. Nec prætereà illi rectè ſentiunt, qui in his

rebus cauſſam varietatis cõſtituunt primorum principiorum diuerſitatem, nam hi ſunt interrogandi, nunquid hæc principia ordinem vllum habeãt inter ſe, nec ne. Si communi quodam ordine diſpoſita eſſe reſpondeant, hunc erit affirmandũ à cauſſa præſtantiori, & ſuperiori eſſe illis contributum. Qua de re cùm à cauſſa huiuſmodi principia ſint inter ſe diſtributa; ad eam vti in cauſſam primariam rerum diſtinctio eſt redigenda. Si nullo ordine, eò res redibit, vt omnia caſu concurrere, nullumque perpetuum ordinem in rebus naturalibus ſeruari poſſe cogantur fateri; quæ omnia ita abſurda ſunt, vt nihil queat abſurdius excogitari. Itaque res, quæ conſtant natura, quòd exiſtant, & quòd certo ordine ſint inter ſe digeſtę, ſortiuntur ab ideis, quæ ordine firmo, & conſtanti ſunt in Mente deſignatæ. Ad has referuntur cauſſæ ſympathiæ, & antipathiæ, quæ inter partes vniuerſi non ſine maxima admiratione conſpiciũtur, & à quibus Magia naturalis ab Ægyptijs, Magis, & Chaldæis tantopere celebrata proficiſcitur. Ideæ præterea rerum generationi conducunt, qua ſalus vniuerſi perpetua cuſtoditur. Non enim alicuius rei vlla eſſet generatio, niſi præſtò eſſent ideæ, quibus formæ, & cauſſæ exemplaris ratio deſtinatur in rerum conſtitutione. Enimuero principia æterna eſſe oportere decretum eſt multorum philoſophorum approbatione confirmatum; ergo cùm hæ formę, quibus materia induitur, ſint caducæ, nec in omni generatione conſtantes, neceſſarium eſt ideas in rerum principijs numerari, & ab his formas omnes in materiam emanare, quæ quoniam verum aliquid nunquam accipit (formæ namque, quas admittit, idearum ſunt imagines) atque ob propriam, & ſibi inſitam falſitatem, ac prauitatem qualecunque videtur accipere, non verè ſuſcipit, nunquam impletur, ſed alias, & alias formas ſemper affectans perpetuæ tranſmutationi occaſionem præbet. Vtilitates autem, quas habent homines ab ideis, nec paucæ ſunt, nec omnino contemnendæ, inter quas illa maximi eſt momenti, quòd homines nullius rei perfectam ſcientiam ſibi compararent, niſi ad ideas ſe reciperet: Nam ſi ima-

gines ex relatione ad exemplaria cognoſcimus, atque hoc vniuerſum noſtris ſenſibus expoſitum eſt imago mundi intellectualis; quo pacto poſſumus non ob hunc etiam illud cognoſcere? Cæterùm homines ad ideas efferuntur rationum beneficio, quæ ſunt animabus ingeneratę, ad quas eò propiùs accedunt, quò magis animum repurgant à rerum in ſenſus cadentium falſis imaginibus. Has attingentes tunc non amplius, vt inquit Plato in Sympoſio, ſimulachra rerum, ſed res veras pariunt in ſeipſis, partasque nutriunt, Dijs euadunt familiares, & cum Mente coniunguntur, in qua copulatione à corporis vinculis ſoluti, & ab omni cupiditatum moleſtia liberi efficiuntur beati; & quò magis cum Mente vinciuntur, & arctè conſtringuntur, eò puriorem, ac veriorem felicitatē, voluptatemque conſequuntur. Ex his poteſt ſciri, cur Plotinus dixerit animam hominis contemplationi dediti, quamuis homo ipſe partem mundi orientalem incolat, nihilominus quæ fiūt in regionibus orientalibus, poſſe intueri; & cùm in vno ſit loco, in alio vel maximè diſiuncto quin ſuas functiones obeat, nihil prohibere: Nam homo in contemplatione poſitus cum Mente copulatur, quæ quòd omnia ſit entia, ac nullus ſit locus, vbi illa non conſiſtat, ratio videtur perſuadere hominem illi coniunctum ſingula conſpicere, & vbique ſubſiſtere: Quare Tatius Mercurij filius totus in actu contemplandi poſitus mirabilia intuebatur, & audiebat: quod & ipſe Mercurius narrat in Pimandro ſibi in animi abſtractione cōtigiſſe. Literis quoque ab Olympiodoro Platonico proditum fuit Appollonium Tyaneum tum cùm contemplabatur, ex vrbe Roma quæ in Ægypto gerebantur conſpexiſſe. Non eſt autem credendum animum quicquam intelligere ex conuerſione, aut inſpectione ad ideas, niſi ad illum ſtatum peruenerit, qui eſt ſupremus gradus cōtemplatiuæ perfectionis, cuius Dij omnes licèt ſint participes, pauci tamen homines, & ij omnium ſapientiſſimi ad illum aſpirant: Qua quidem in re rationes, quibus anima eſt prædita, ipſi animæ in corpore concluſæ maximo ſunt adiumento, nam vt formæ per animā

à Mente defluunt in materiam, ſic non licet à cognitione formarum, quæ cum corporibus ſunt complicatæ, ad ideas peruenire, niſi per innatas animæ rationes fiat trãſitus, quæ quòd inter has, & illas mediæ ſunt interiectæ, animis dant aditum ad ideas faciliorem. Scitum eſt igitur illud Democriti naturam in profundum puteum veritatem abdidiſſe; & rectè videtur Arceſilas aliorum philoſophorum diſciplinas ſuſtuliſſe, dum admonuit eos nihil ſcire, quia in ſeipſo propriam, veramq; ſcientiam habere, non hominum, ſed Deorum eſt præcipuum munus. Quòd ſi quis mortalium ſcientiam aliquam eſt adeptus, is iam non eſt amplius homo, ſed in Deum planè conuerſus; Atque hinc patere poteſt, quæ vulgò dicuntur ſcientiæ, non eſſe veras ſcientias, ſed opiniones rerum imagines, & vmbras ſibi proponentes. Sed de idearum vtilitatibus ſatis, ſuperque.

Idea quid ſit iuxta Pythagoreorum, & Platonicorum opinionem. Caput X.

NVNC ſequitur, vt inquiramus, quid ſit idea. Pythagorici numerorum vocabulo ideas ſignificantes (vt enim per communes numeros omnia ad certum ordinem reducuntur, ex quo numerus vocatur quaſi menſurans, omnia componens, & amica faciens, ſic per ideæ participationem cuncta ſibi ſimilia redduntur, & in ſpeciem, ordinem, pulchritudinem, & vnitatem per eiuſdem communicationem adducuntur) varias definitiones ad ideas accõmodauerunt. Pythagoras in ſacro ſermone. *Numerus*, inquit, *eſt extenſio, atque actus ſeminalium rationum in Vnitate regnantium*. Idem aſſeruit numerum eſſe primũ in diuina Mente conſiſtens, à quo, & ex quo omnia componuntur, & permanent ordine quodam indiſſolubili inter ſe diſtributa. Hippaſus numerum finiuit exemplar fabricæ mundanæ, & inſtrumentum Dei mundũ fabricantis iudicatorium. Scripſit Philolaus

Iolaus numerum eſſe imperioſam quandam, & ex ſe progenitam ſempiternæ mundanorum perſeuerantiæ continentiam. Vt hæ Pythagoreorum obſcuræ definitiones intelligantur, nonnulla, quæ ſuprà attigimus, ſunt in memoriam reuocanda. Vetus opinio eſt iam vſque à priſcorum ſapientum ducta temporibus, cui Pythagorici omnes conſenſerunt, Deum, quæ illius eſt bonitas, virtutē ex ſe mittere, atque ea primùm Mentem illuſtrare, deinde Animam perficere, poſtremò materiam corpoream exornare in his varios ſpecierum gradus effingendo, qui quoniam in ſubiectis inter ſe multùm differentibus ſunt inſculpti, varias ſibi nomenclationes aſciuerūt; ſiquidem ſpecies hæ per Mentem diffuſæ ideæ, ac entia intelligibilia; in Anima conſiſtentes rationes, & entia (vt ita loquar) animalia; mundum corporeum exornantes formæ, & entia ſenſibilia appellantur. Hi rerum gradus ſic inter ſe cohærent, vt poſteriores pendeant à priori, illisque ſublatis hūc auferri ſit neceſſarium. Porrò inter hos ideæ, quæ in Mente continentur, ſunt multò perfectiores, ac multò maiorem inter ſe habēt coniunctionem, quàm notiones in anima, & formæ in materia. Etenim vt in centro lineæ ab ipſo ad circunferentiam protractæ ſimul omnes ſunt coniunctę; parùm verò inde diſcedentes parùm inter ſe diſcernuntur; & longiùs diſtantes latiùs à ſe mutuò diſtare coguntur, eodem modo virtus Dei, in quo tanquam in centro vnicè ſunt omnia, quò Deo eſt propinquior, eò coniunctiores ex ſe promit ſpecies; & quantùm rurſus ab ipſo recedit, tantūdem ſpecies in ſubiectis virtutem ipſam ſuſcipientibus expreſſæ inter ſe diſtare compelluntur. Hos rerum gradus Plato nobis ſignificauit, cùm ſcribit epiſt. 2. ad Dionyſium: *Circa omnium Regem omnia ſunt, circa ſecundum ſecunda, circa tertium tertia*. Cùm omnia dicit, vel res omnes intelligit, aut certè entia intellectualia à quibus reliqua omnia pendent, & manant. Secunda ſunt entia animę conceſſa, & ingenerata. Tertia entia ſenſibilia, quæ ab hoc mundo continentur ab anima dependente. Quinetiā veteres Theologi hæc nobis ſignificarunt tradentes Bonitatem

tatem in vno centro contineri,pulchritudinem in tribus circulis circa centrum reuolutis: Centrũ eſt Deus,circuli Mens, Anima, & materia, qui dum illuſtrantũr radio à centro defluente tanta ornantur pulchritudine,vt nihil poſſit ornatius excogitari. Illud prætereà eſt animaduertendum Pythagoricos Mentem dixiſſe Vnitatem,tum quia ſtabilis eſt, & vndiq; ſimilis,tum quia numeros omnes,& ideas in ſe coercet,cæteriſque cauſſa exiſtit,vt in vnum conſpirent. Apud enim Pythagoricos inter Vnum,& Vnitatem magna eſt differentia,de qua Architas, Oderatus, & Nicomachus Pythagorici multa diſſeruerunt ſtatuentes Vnum eſſe primum principium, & poſt ipſum Vnitatem. Hæc arbitror abundè patefacere Pythagoricas numeri, & ideæ diffinitiones, nam cùm ait Pythagoras numerum eſſe extenſionem, atque actum ſeminalium rationum in Vnitate regnantium,liquet his explicari ideas eſſe quaſdam rationes ſemina rerum omnium in ſe continentes (ab ipſis enim cuncta oriuntur, & dependent) quæ per Mentem longè, lateque diffunduntur ipſi à ſupremo Vno illius parente communicatæ. Philolaus, & altera Pythagoræ diffinitio nobis deſignant ideas à nullo ente dependere, ſed omnibus ſuperiores cunctis imperare, ſingula certo ordine inter ſe diſtribuere,atque omnia amplecti, ſuoque amplexu prohibere,ne diſſolubilis mundi conſtitutio ſuæ naturæ fragilitatẽ extimeſcat. Hippaſi denique definitio monſtrat ideas eſſe rerum, quæ in mundo continentur, exemplaria, in quæ Mens intuens illa eſt imitata in mundi fabricatione: Hanc namque Numenius, & cæteri Pythagorici mundi architectricem appellant,traduntque Deum ipſius parentem ab omni opere vacantem totam iſtius machinæ molitionem, & adminiſtrationem illi crediciſſe: Atque hæc de Pythagoricis idearum definitionibus. Plures Platonicorum ideam finiuerunt ſplendorem diuinæ Bonitatis, quo Mens illuſtratur. Rectiùs Xenocrates, cuius poſteà fuerunt ſectatores Proclus, & Alcinous, ideam definiuit exemplar æternum eorum,quæ ſecũdum naturam ſemper conſiſtunt: Propriè enim idea ad cauſſam exẽ-

plarem reuocatur, quòd mundi architectus ad eam reſpiciēs cuncta fuit fabricatus ad illius imitationem. Non omnium verò ſunt à Platonicis ideæ poſitæ, ſiquidem ſingularia mutabilia careant ideis, ac præterea illa, quæ non ſecundum naturam conſiſtunt. Sed quoniam quę ſecundum naturam dicantur apud Platonicos, non ſatis eſt in conſpicuo, quorū ideas eſſe, & non eſſe putauerint, latiùs eſt declarandum.

Idea quorum ſit, & non ſit. *Caput XI.*

PLACET Academicis non omniū eſſe ideas, nam ſi omnia quicquid huius eſt muneris accepiſſent, multæ ideæ haberentur, quarum nulla eſſet neceſsitas, nullaq; vtilitas. Accedit plurima in vniuerſitate reperiri, quorum ea eſt natura, vt nullo pacto poſſint ideas obtinere, quod nunc perſpicuè apparebit. Quęcunque ſunt ſupra naturam, vt Deus, Mens, & Anima, & reliqua intelligibilia, aut infra naturam, vt materia, abſurdū eſt ideas ſibi aſciſcere, quippe quę aut nullo modo ſint procreata, veluti Deus, aut ad alterius ſimilitudinem minimè genita: Præterea cùm materia ſit informis, & apta quaſcunq; formas induere, quę idearum imagines, & participationes appellantur, nulla ratione poteſt perſuaderi ipſam eſſe preditam idea, quę vera eſt forma, & ſuam impertit materię perfectionem. Numenius igitur, Cronius, & Amelius turpiter falluntur, quibus viſum eſt cuncta intelligibilia ideas obtinere. Porphyrius autem tametſi rectè ſentiat aſſeuerādo intelligibilia eſſe ea, quę participantur, attamen in eo delinquit, quòd cuncta ſenſibilia exiſtimat ideas ſibi vendicare, nam ex his multa ſunt, quibus ideę non ſunt attributę. Principiò res artificioſę, quia natura minimè conſtant, nullas ideas poſſunt recipere: Quòd ſi Plato initio lib. 10. de Rep. mēſę, & lecti ideas agnoſcit, iſtud accipiendum eſt per quandam rationis ſimilitudinem, hoc ipſo ſcilicet, quòd artifices in ſuis effectionibus naturam imitantur,

tantur, eaque efficiunt, quę reſpondent rationibus in anima inſculptis,& ab ideis dependentibus. Rurſus noluerunt Platonici illorum eſſe ideas, quæ fiunt præter naturam; nam ſi ideæ ſunt exemplaria, quæ Mens ſibi proponens naturam inſtituit,& moderatur,ea,quæ ſunt præter naturam,vt febris,& omnia morborum genera, ideas non habebunt. Ad hæc mala, & turpia reuocantur, quæ quoniam priuatione potius,& abſentia idearum in natura conſtant, iccirco præter naturam ſe habere dicuntur.Nec præterea negationum,& eorum,quę aliàs aliter ſe habent, vt quæ per plurium cauſſarum concurſum efficiuntur, & fortuita appellantur, ideæ ſunt ponendæ, ſiquidem illę deſtruunt terminum,& finem,qui omnibus rebus tribuitur ab ideis; hæc autem cùm ex cauſſa, quæ multis mutationibus expoſita eſt, conuerſionem, & tranſmutationē recipiant,nequeunt ex firma, & ſtabili idearum cōſtantia dependere. Sed nec partium,vt manus, capitis, & digiti habentur ideæ, quòd hæ ſunt cauſſæ rerum integræ, ac perfectæ, & totas ſpecies, formasque omnibus ſuis partibus expletas producunt. Amplius ideæ non ſunt poſitæ compoſitorum,vt hominis ſapientis,quia ideæ ſunt ſimplices, & ſimplicem cuiuſque ſubſtantiam exponunt. Hinc fit,vt quę ex generum diſsimilium coitione nacta ſunt generationem,vt muli, nequeant in eis numerari, quorum ideæ ſupponūtur. Adde quòd hæc omnia ſunt opera naturæ iniuria affectæ, nec omnino ſecundùm ſuas rationes procedentis. Qua ratione illud quoq; effectum eſt,vt res viles,& quæ fiunt ex materia putreſcente,careant ideis, nam Academici has eſſe naturæ errores materiæ vitio magna ex parte naſcentes crediderunt, illasque iccirco indignas diuinæ Mentis cognitione per proprias ideas iudicauerunt. Quinetiā cuncta accidentia nequaquā poſſunt eorum eſſe,quorum ſunt ideæ, nam quæ ſubſtātiarum ſunt proprietates, veluti riſibilitas; & quæ ex plurium temperatione oriuntur, vti colores, odores, & ſapores, ſunt ideis deſtituta; & hęc quidem ad earum rerum ideas reuocantur,ex quarum concordia emanarunt; illa verò ad eorum, quorum dicuntur

proprie-

proprietates. Ergo relinquitur, vt vnà cum Syriano concludamus ideas eſſe ſubſtantiarum perfectarum, & eorum accidentium, quæ ad harum ſubſtantiarum perfectionem conferunt, vt ſcientiæ, & virtutis. Enimuerò ideæ cauſſæ exiſtentes, generatrices, & perfectionis operatrices ſubſtantijs eſſentiam præbent, ipſaſque perficiunt illas ad ſe conuertendo. Porrò cùm ſubſtantia in compoſitum, & formam diducatur, reſpuūt Platonici ideam compoſiti verentes ne ſi huic ideā aſſignent, eandem materiæ cogantur attribuere, ex qua, & forma compoſitum coaleſcit. Solius formæ ideam recipiunt, quia idea eſt quiditas, quæ tota ex rei forma ducitur ad Platonis, & Ariſtotelis ſententiam. Cæterùm non omnium formarum ideas eſſe exiſtimant; enimuerò formarum aliæ ſunt ſingulares, & quædam vniuerſæ; & harum nonnullæ habent rationem generis, & aliæ ſpeciei; has poſteriores eſſe uerant ideas obtinere; Generum verò ideæ ab omnibus Platonicis reijciuntur, & ſingularium à pleriſque. Academici ſpecierum ideas amplexātur, quoniam quidiras eſt ſpeciei propria, & peculiaris. Genera inquiunt non capere ideas, propterea quòd idea eſt res perfecta, integra, & abſoluta, genera autē ſunt formę mancæ, diminutę, carenteſque vltima perfectione, quę ipſis adiungitur appoſita differentia. Abſurdum eſſe ponere ideas ſingularium ab horum pleriſque ita oſtenditur. Quæcunque ſpecie ſunt inter ſe diuerſa, ob idearum varietatem inter ſe differunt, ſed ſingulares formę ſolo numero differentes nō diſtinguuntur ſpecie, non igitur ſingulę formæ ad ſingulas ideas referuntur. Addunt vnicam ideam poſſe multas formas ſingulares repræſentare, quare hac excepta cæteras fore ſuperuacuas, quod magnam continet abſurditatem. Rurſus hoc modo argumentantur, quicquid propriam habet ideam, eſt per eſſentiam immutabile, quia idea eſt cauſſa prorſus immobilis, ſed ſingula indiuidua nō ſunt huiuſmodi, quin immo maxima illorum pars in multas cadit mutationes; non igitur ſingularium propriæ ſunt ideæ. Prætereà illud ſequeretur abſurdum, quòd idea nunc quidem eſſet exemplar, ſingulari ſcili-

H cet, ac

cet, ac imagine in ratione rerum extante; nunc vero minimè, ipſo nempe ſingulari è rerum natura ſublato. Amplius idea eſt rei quiditas; at hæc ſpeciei, non ſingularis propria cenſetur; non igitur formæ ſingulares ſibi poſſunt ideas peculiares vendicare. Poſtremò his omnibus adiungi poteſt teſtimoniũ Ariſtotelis lib. 1. poſtnat. 6. aſſerentis Platonem præter ſenſibilia, & ideas res mathematicas medias poſuiſſe, à ſenſibilibus hoc differentes, quòd perpetuæ, atq; immobiles ſunt, ab ideis autem hoc; quòd ipſæ quidem complures ſimiles ſunt, idea autem ipſa eſt vna ſolùm, nec plures ideæ poſſunt haberi, quę inter ſe gerant ſimilitudinem ſecundum diffinitionem. Sed de ideis hæc ſufficiant. Nunc quoniam iam ſatis in ſecundo Diuinitatis gradu ſumus commorati, ad tertium, quem tenet Anima mundi, deſcendamus.

Ex Mente Anima procedit, qua regitur tota hæc vniuerſitas. Cap. XII.

VNiuerſis rebus perfectis certam quandam à natura inditam eſſe effectionem, cuius auxilio aliquid ex ſe gignunt, partim ſimplicia, partim concreta corpora atteſtantur, ex quibus ſingulis aliquid demittitur, cuius mox fit communicatio ijs omnibus, quæ ſunt propinqua. Itaque cùm Mens ſit omnium rerum creatarum perfectiſſima, ab ea poſuerunt Platonici Animam, qua tota hæc regitur vniuerſitas, proximè, ac ſine ulla ipſius iactura emanare. Rationes, ex quibus Plato, & Academici effici poſſe opinantur vnam eſſe mundi Animam omnia formantem, cuncta animantem, multæ ſunt, ego ne uidear prolixus, paucas, & potiores breuiter commemorabo. Principio cùm nefas ſit, quicquam niſi pulcherimmum facere eum, qui eſt optimus, atque nihil eorum, quæ ſecũdum naturam aſpectui ſubiecta ſunt, ſi expers intelligentiæ ſit, intelligente alio totum totò pulchrius unquam ſit, Mens uerò alicui ſine Anima dari

non poſsit, hac ratione opifex mundi, qui ſumma præditus eſt bonitate, Mentem Animæ, & Animam mundano corpori dedit, totumque mundum ita conſtituit, ut pulcherrimum naturæ opus, optimumque foret. Amplius Anima ſublata non apparet, qui mundus poſsit eſſe compoſitum uerè unum, & quomodò elementorum vniuerſitates ſibi uiciſsim contrariæ, & plurimùm depugnantes poſsint ſic aptè inter ſe conciliari, ut non facilè queant diſsipari. Deinde ſi paruus mundus, homo ſcilicet, & alia quamplura corpora in uniuerſitate ſpectantur ea ſorte genita, ut ipſorum partes animæ uinculo ſint inter ſe coniunctæ, nemo profectò non iudicabit flagitiū partes magni mundi inter omnia corpora ſine controuerſia primas tenentis nulla animæ ui inter ſe cohærere. His illud addatur, quòd uiuentis opificis proprium opus eſt in uiuis numerandum, mundus ergo, cuius effectrix eſt prima uita, primaque Mens, Animā, quæ ſibi uitam impertiat, habeat oportet. Præterea hanc tam clarè aſſerunt animalia, quæ ortu ſpontino gignuntur, ut magna ſit illius hominis imperitia, qui hanc explodat ex naturæ conſtitutione. Non enim caliditas, cæteræque elementorum qualitates (quòd nihil agit ultra gradum proprium) quicquam conducerent ad horum corporum generationem, niſi hæc Anima per omnem naturam inuecta, & cum his qualitatibus copulata generatricis munere fungeretur, cunctaque produceret, quæ de putri materia prouenire dicuntur. Hanc teſtantur admirabiles ſupra naturam elementarem effectiones in lapidibus, metallis, & herbis deprehenſæ, nam Achates quòd uiſum foueat, uenenum obtundat, ac uires, fœcundiamque præſtet, ab hac nanciſcitur. Cornieola quòd ſiſtat ſanguinē, & iram cohibeat, huic fert acceptum. Demum in hanc cauſæ ſunt conijciendæ omnium operationum planè ſuperantium elementorum temperationem, quas ipſe caſus, euentusque rerum declarauit in miſtis inueniri. Zeno mundum eſſe animatum his confirmauit. Quod ratione vtitur, id melius eſt, quàm id, quod ratione non utitur, nihil autem mundo melius, ratione igitur mūdus utitur,

H 2 neque

neque Anima caret. Rurſus nihil, quod animi, quodque rationis eſt expers, id generare ex ſe poteſt animantem, compotemque rationis, mundus autem generat animantes, compotesque rationis, animas eſt igitur mundus, composque rationis. Hanc ſententiam Plato Moſis forſitan præceptis eruditus (ex his namque Platonem multa didiciſſe Philoſtratus, atque alij fuerunt atteſtati; & Numenius Pythagoricus ſcripſit Platonem eſſe Moſem atticè loquentem) quibus illud demandatum eſt, Spiritus domini ferebatur ſuper aquas, hoc eſt vt Ægyptij interpretantur, Anima domini mouebatur ſuper materiam, primus omnium apud Græcos diuulgauit, nam ante huius tempora fuit apud Græcos opinio à Thaletis uſque ducta temporibus Deorum omnia eſſe plena, Deumque ſubſtantiam omnem permeare, & per naturam cuiuſque rei pertinere, quæ opinatio multorum philoſophorum ſcholas oppleuit, illique Zenó, Strato, Chryſippus, & cæteri Stoicæ familiæ philoſophi ſuam aſſenſionem accõmodauerunt. Enimuero hi tametſi mundum eſſe animatum arbitrarentur, attamen inter Deum, & Animam mundi nihil differre crediderunt. At Plato Deum exiſtimans (quod Ariſtoteli vehementer fuit probatum) nullis negotijs implicari, Animam mũdi induxit per omnia pertinentem, & cuncta inter ſe conciliantem; quę quoque fuit Indorum opinatio, qui cùm mundum animalia cuncta producere animaduerterent, ipſum eſſe verè animal ſibi perſuaſerunt. Atque hæc eſt illa Anima mundi, quam tãti faciunt Academici, vt illam in numero principiorum reponant, atque in tertio diuinitatis gradu conſtituant, quamque vt Ægyptij deſignarent circulum (Porphyrio, & Proclo affirmantibus) literam græcam χ in ſe complectentem deſcripſerunt, lineis ſcilicet rectis geminos animæ progreſſus ſignificantes, quibus ipſa ad ſuperiora, & inferiora procedit; circulo autem vitam illius vniformem, qua à ſe ipſa mobilis eſt, & à ſe ipſa incipiens ad ſe ipſam conuertitur.

Sententiæ Platonis explicatio, qua aſſeritur Animam ex diuidua, indiuiduaq; ſubſtantia eſſe compoſitam. Cap. XIII.

ANIMAM vniuerſi tradit Plato in Timæo totius mundi fabricatorem ex ſubſtantia, quæ indiuidua eſt,& quæ ſemper vniuſmodi,ſuique ſimilis, & ex ea,quę circa corpora diuidua,compoſuiſſe, eamque in mundo concluſiſſe, & vt dominam, atque imperantem obedięti corpori prefeciſſe. Quid ſit hæc indiuidua, diuiduaque ſubſtantia Platonis doctrinæ interpretes ſunt inter ſe diſcordes. Nonnulli ſubſtantiam animæ mathematicā exiſtimantes illam mediam fecerunt inter naturales res, & illas, quæ ſunt ſupra naturam, atque hi ſunt inter ſe diuiſi; nam Ariſtander,& Numenius, & quicunque animam numerum eſſe voluerunt, ex vnitate tanquam ex indiuiſibili,& ex interminata dualitate tanquam ex parte diuiſibili ipſam conſtitutam eſſe dixerunt. Quicunque autem geometricam eſſentiam animæ dederunt quemadmodum Seuerus, ex diſtantia, & puncto illam compoſuerunt hoc quidem indiuiduo, illa verò diuidua. Alij animæ ſubſtantiam naturalem eſſe putantes,vt Plutarchus, & Atticus, ex duabus partibus animam compoſuerunt vna rationis experte, altera diuinitatis compote,hac quidē ornante, illa verò ſubiecti vicem obtinente, nominaruntque irrationalem animæ partem ſubſtantiam diuiduam,& illam,quæ diuina eſt,eſſentiam indiuiduam. Sunt alij, qui altius aſcendere ſunt conati, vt Theodorus Aſinæus, qui Antonio Ammonij diſcipulo referente hanc opinionem apud Porphyrium reperiri, & ex Perſide originem habuiſſe prodidit. Hæc verò opinio duas ponit Mentes anima ipſa ſuperiores,alteram quidem vniuerſalium ideas in ſe continentem,alteram verò particularium, & harum mediā ſtatuit animam tanquam ex vtriſque conſtitutam. Plotinus verbis Platonis varias varijs in locis adhibuit explanationes, in quarti

vna

vna lib. 1. de eſſentia animæ ſcriptis mandata affirmat ſingulas animas rationis compotes in mundo intelligibili vitã degere beatiſsimam, nulliusque corporis miniſterio addictam, inde verò in hunc mundum, quem habitamus, profectas corporibus vti, & per corpora diuidi. Enimuerò quanquam animæ in mundo intelligibili commorantes ex nullis locorum interuallis diſtantiam patiantur, ſintque impartibiles, & indiuiduæ, nihilominus illinc demigrantes poſſunt corporibus coniungi, & nonnihil partitionis accipere, quippe illis natura quædam diuiſionis capax eſt ingenerata. Ceterùm minimè credendum eſt animas totas, & ex omni parte eſſe diuiduas, quandoquidem non totæ ex mundo intelligibili decedunt, ſed aliqua ipſarum pars illic ſtabilis, firmaque manet, quæ quòd ad inferiora minimè delabitur, nullam poteſt ſubire partitionem. Quando igitur Plato inquit animam ex eſſentia quadam indiuiſibili, & quadam circa corpora diuiſibili conſtare, idem dictu eſt animam conſtitui ex eſſentia partim apud ſuperos permanente, partim ad inferiora vergente, & ea quidem conditione vt ſimul & inde pendeat, & ſe interim ad hæc vſque propaget, haud ſecus atque lineæ, quæ à centro ad circumferentiam productæ à centro neutiquam diſcedũt, tametſi attingant circunferentiam. In altera expoſitione lib. 2. de eſſentia animæ literis conſignata Plotinus cõſtituit duo ſumma rerum genera, vnum earum, quæ primò, & per ſe ſunt diuiſibiles, & ſuapte natura diſsipationi ſubiectæ quarumue pars nulla eadem eſt alteri parti, vel toti, & in quibus pars neceſſariò minor eſt toto; Huiuſce generis ſunt omnes in ſenſum cadentes magnitudines, quarum quælibet proprium locum occupat, neque fieri poteſt, vt vna, & eadem ſimul pluribus in locis conſiſtat. Ad alterum res intelligibiles reuocãtur, quæ ſemper eodem modo ſe habent, & quarum eſſentia his viciſsim eſt oppoſita: Nullo enim modo partitioni ſubiectæ ſunt, partibus omnino vacant, non indigent loco, & nullis rebus inhærent vel ſecundum partes, vel ſecundum tota, vt pote quæ quaſi rebus cunctis ſimul incumbant, non quidẽ

vt ab eis ſuſtineantur, ſed quoniã cætera ſeorſum ab ipſis eſſe neque valeant, neq; velint. Inter hæc genera anima iuxta Plotini ſententiã, veluti media eſt interpoſita vtriuſq; generis cõditiones participãs. Hęc namq; cùm ex mũdo intelligibili, & indiuiſibili proficiſcatur, munere afficitur indiuiduitatis; & quoniã ad alterã naturã progreditur circa corpora oĩno partibilẽ, compos euadit diuiduitatis. Neq; tamẽ ſic eſt partibilis, vt hæc, & impartibilis, ut ille, ſed diuidua quidẽ, quia ſingulis partibus eius, in quo eſt, ſeipſam communicat; indiuidua verò, quoniam tota eſt in omnibus, & in qualibet ipſius portione eſt tota. Hoc igitur eſt (inquit Plotinus) quod diuinè, licet obſcurè dicitur à Platone hunc in modum, *Mundi artifex ex eſſentia impartibili, eodemq́ modo ſemper habente, & eſſentia, quæ circa corpora fit partibilis, tertiam quandam ex ambabus commiſcuit eſſentiæ ſpeciem.* Tertia Plotini explicatio à Proclo recitatur in Timęi commentariis. Hæc ponit animam mediam inter ſenſum, & mentem, inter hanc indiuiduam, inter illum circa corpora diuiſibilem. Procli eſt opinio in huius loci enarratione indiuiduam ſubſtantiam à Platone nuncupari mentem ab anima participatam, quæ cùm ſit intelligibilis, ſimplex, & ſempiterna, in nullas partes diſtribuitur: Diuiduam circa corpora appellari uitam corpoream ab anima procedentem, quæ diuidua eſt, & in corpus penitus immerſa: Inter hanc uerò, & illam animam ueluti mediam interijci, quod à Proclo, & cæteris Platonicis pluribus argumentis mõſtratur. Adiungit Proclus hæc tria mentem, animam, & vitam corpoream inter ſe perinde ſe habere, ac Sol, lumen, & ſplendor ſe habeant inter ſe, enimuero Mens habet rationẽ Solis, anima luminis à Sole defluentis, & uita ſplendoris ex lumine manantis. Eadem poteſt uideri Theodori Solenſis, & Iamblici explanatio, quorum ille inquit: *Mens eſt quidem ſine reſpectu, habitudineq́, uita autem, quæ circa corpus uerſatur, ad illud habet habitudinem, media uerò eſt anima mediæ quodammodò particeps habitudinis.* Iamblicus autem, *Mens*, ait, *abſtracta eſt, atque ſeparata; uita corporeæ moli addicta; & anima media ſepara*

ta

ta ſimul, & applicita. Hæ ſunt Platonis decreti uariæ explanationes, ex quibus quænam propiùs accedat ad Platonis Mentem, ſit cuique integrum iudicare. Mihi ſanè Procli interpretatio, & ſecunda Plotini expoſitio multùm approbantur, ex quibus dilucidum eſt illos falli, qui autumant indiuiduã, diuiduamque naturam animæ ſubſtantiam complere, ſiquidẽ nulla ratione fieri poteſt, ut indiuidua natura diuiduæ coniungatur, ſic ut ambæ ad vnum quoddam perficiendum conueniant. Inter ſe enim quodammodò pugnant, plurimumq; diſtant, adeo ut nullo modo coniungi, copularique poſſint. Cæterùm Plato non ſolùm animam ex diuidua, indiuiduaq; ſubſtantia dicitur commiſcuiſſe, ſed ex quinque præterea generibus rerum, hoc eſt ex eſſentia, identitate, alteritate, ſtatu, & motu; atque ex numeris, concentibus numeroſis, figurarũ initijs, & motionum principiis eſſe concretam diuulgauit. Quid fuerit cauſſæ, cur hæc Plato publicauerit, quidúe his voluerit ſignificare, non eſt opus recenſere, cùm in promptu ſint Procli, Chalcidij, Ficini, & aliorum Platonicorum commentarij apertè hæc omnia explanantes lectitare uolentibus.

Circa Animam mundi quorundam errores aperiuntur. Cap. XIIII.

ANimam mundi non ſolùm informat regionẽ elementarem, ut quidam crediderunt, ſed præterea corpora cæleſtia animat, & per totũ vniuerſum ſeſe fundit, quod Platonis uerba in Timæo confirmant, quæ ſunt. *Animam in eius medio collocauit, per totumq́; tetendit, atque ea corpus ipſum etiam extrinſecus circuntexit, mundumq́; hunc vnũ, & ſolum, ſolitariumq́;, & circularem uolui in circulum ſtatuit, qui propter uirtutem ſecum ipſe facilè coercere poſſit, nullius alterius indigens, ſatisq́; ipſe ſibi notus, & amicus*. Et paucis interiectis, abſolutaque animæ compoſitione hiſce Plato concludit. *At-*

que

quæ illa à medio per omne vſq; ad cæli extrema ſe applicans, eiq; extrinſecùs circunfuſa, ſeq; in ſeipſam conuertens ita ſempiternæ, ſapientiſq; vitæ in vniuerſum tempus diuinum dedit exordium. Ex his ſumi poteſt corpoream omnem naturam vbique ſimiliter ab Anima mundi eſſe animatam. Cæterùm quid ſit medium, in quo Anima primùm eſt poſita à Platone, controuerſum eſt: Quidam centrum vniuerſi intellexerunt, quod ab omnibus medium mundi appellatur. Multis placuit in cœli machina iſtud perquirere, quorum ſententiæ ſunt inter ſe diuiſæ. Ioannes Picus, & alij illud lunam eſſe expoſuerunt, quæ quoniam ex ſeptem errantibus ſtellis infima eſt, & elementis proxima, media dicitur inter partem vniuerſi cęleſtem, & elementarem. Nonnulli ſupremam ſphæram maluerunt intelligere, quod aſſeruerunt rei, ac naturæ medium eſſe, illíque ab Anima primò vitã ſuppeditari. Anima namque à Mente proficiſcens, & à mundo intelligibili deſcendens firmamentum, ſupremamque ſphæram primùm animat, inde in cæteras mũdi partes ſuam effundit animationem. Chalcidius, & alij multò probabiliùs, vt opinor, Solem ſunt interpretati, qui obtinet rationem cordis, ac per radios vim ex ſe fundit his inferioribus vitam ſuggerentem. Hinc fortaſſe factum eſt, vt Pytagorici orienti Soli hymnos lyra canerent, & veteres Platonici Solem inter cœleſtia præcipuè colerent. Hinc præterea Plato forſitan adductus Solem aſpectabilem Dei filij inaſpectabilis filium, & imaginem appellauit; & Plinius lib. 2. nat. hiſt. prodidit Solem mundi totius eſſe Animum, ac planiùs Mentẽ, nam hunc principale naturæ regimen, ac numen credere par eſt opera eius æſtimantes. Nec verò illi ſunt audiendi, qui dixerunt hanc, de qua loquimur, Animam mundi eſſe animam ſphæræ inerrantis, nam hos magno in errore verſari hiſce apertiſſimè monſtratur à Platone. *Magnus*, ſcribit in Phædro, *vtique dux in cœlo Iuppiter citans alatum currum primus incedit exornans cuncta, prouideq; diſponens: Hunc ſequitur Deorũ, Dæmonumq; exercitus per vndecim partes ordinatus*: *Permanet autem Veſta in Deorum æde ſola*. Magni ducis nomine Animæ

mundi ſignificatur, quam ſequitur Deorum, Dæmonumque exercitus, hoc eſt vndecim sphærarum animæ, quibus innumeri Dæmones obſequuntur ipſarum mandata perficientes. Veſta centrum vniuerſi deſignat, circa quod immobile, & ſuo in loco perpetuò conquieſcens sphęræ in gyrum conuertuntur. Ex his planum eſt illos falſæ ſententiæ autores eſſe, qui ab vniuerſitatis Anima ſingulas sphæras vitam accipere crediderunt, quandoquidem inter animas, quæ ſingulis ſphæris ſunt conceſſæ, & hanc, quam dicimus Animam mundi, multùm intereſſe ex his clarius eſt, quàm vt deſideret dilucidationem. Mitto interim fieri non poſſe, vt anima vnica tot ſeparatis corporibus, & in maxima varietate conſtitutis vitam propriam tribuat, & accommodet. Non eſt tamen, vt quis ſibi perſuadeat nos opinari nihil prorſus vitæ ab hac Anima mundo impertiri, quoniam & nos quoque aſſeueranter dicimus ſingulas vniuerſi partes Animæ mundanæ acceptum ferre, quòd viuant, & ſpiritum ducant. Verumtamen etſi vniuerſis mundi partibus ab ipſius Anima vita præſtetur, nefas tamen exiſtimamus animantes propria anima carere, à qua habeant, quòd inter ſe diſtinguantur, & in certa ſpecie collocentur. Singulæ igitur ſphæræ ſingulas animas habent, & omnibus, quatenus ſunt partes vnius vniuerſitatis, ab vna Anima mundi vita ſuppeditatur, quæ non ſecus eſt tota in qualibet naturæ corporeæ parte, quàm anima noſtra in qualibet noſtri corporis particula; qui enim poſſet vniuerſum perfectè connectere, illique motum, ac vitam impertire? Totus itaque mundus vnum eſt animal, idq; intelligens, & diuina prouidētia conſtitutũ, cuius Anima omnes mundi futuras reuolutiones quaſi præſētes in ſe habet deſcriptas. Huius diuini animalis motus ſunt omnes rerum naturaliũ effectiones; huius geſtus, & quaſi ſermones ſunt oēs mũdanæ reuolutiones; huius deniq; partes ſunt oēs res corporeæ illius ambitu cōpræhenſæ, in quibus propria quædā Animæ mũdi virtus, & efficacia ſic cernitur, vt nemo poſſit dubitare. Nihil in hoc, vel ex hoc eſt, aut fit temere, ac fortuitò, ſed ſingulæ res ſtatutis temporibus.

bus conſtanti ordine ad certum finem referuntur, & propriā perfectionem conſequuntur. Enimuerò ex Anima mundana communis quædam vis vegetalis, quam naturam vniuerſalē placuit pleriſque Platonicorum appellare, in arbore mundano tota vbique vigens pullulat, quæ animabus ſingulis proprias materias præparat, & tempore definito conſeruat, ac in vnum viuentia omnia conciliat. Hanc Pythagorici (teſtis eſt Sextus Pyrrhonius) ſpiritum nuncupant in animæ modum rebus cunctis infuſum. Huius igitur auxilio anima quæque proprium corpus induit, & in illud ſub hoc communi lumine propriæ, peculiariſque vitæ lumen effundit. Hinc fortaſſe Socrates in Philebo non potuit intelligere, vnde nos animas caperemus, niſi corpus mundi Animam haberet: Non quia ab Anima mundi defluat anima noſtra, ſed quoniam illius efficientia hæc corpus inhabitat. Et Mercurius in Pim. poſteritati conſecrauit ex totius vniuerſitatis Anima omnes animas profluere per ipſum mundum diſtributas, atque circuncurrentes. Neque mirandum eſt, quomodò hæc omnia poſsint ab vnica mundi Anima commodè præſtari, nam cùm perſpectum ſit facultatem vegetalem multis, diuerſiſque corporis membris virtutes inſerere, multò aptiùs poterit præſtantiſsima mundi Anima omnes vniuerſi partes vegetare, in illasq; tot vires admirabiles infundere. Rurſus Anima vniuerſi per propriæ eſſentiæ poteſtatem ſic eſt domina corporum, vt hæc non aliter fiant, atque diſponantur, quàm ipſa perducat, & gubernet. Quoniam verò id omnibus commune eſt ad ſui ſimilitudinem in agendo contendere, efficit, vt alia viuant, quæcunque per ſe vitæ ſunt expertia, talique vita vtantur, quali & ipſa perfruitur: Quapropter viuens ipſa in ratione tradit corpori rationem veluti ſuæ rationis imaginem, ſimulque formas omnes corporeas impartit, quarum rationibus ipſa eſt exornata. Hinc Magi, veteresq; ſapientes cùm in Animam vniuerſi aciem mentis direxiſſent, illamque animaduertiſſent vbiq; ductu facilē, pronamq; eſſe, atq; ab oībus facilè capi poſſe, ſtatuas cōdiderunt, quæ facilè pati ab ea poſsent, &

patiendo animam ſibi comparare. Hęc namque omnia fabricat mirabili artificio ad illorum imitationem, quorum in ſe poſsidet rationes. Neque cenſendum eſt cùm per cunctas naturas ſeſe inſinuat multiplicem euadere, quia eſt impartibilis, indiuidua, ſemper eadem, ſuique ſimilis, & iccirco eſt vbique tota, & integra. Nec pręterea exiſtimandum eſt Animam mundi ſic ingredi vniuerſum, illique vitam impertiri, vt in corporibus contineatur, nam contrà res ſeſe habet, ipſaque corpora ſunt in Anima, hęc in Mente, & Mens in Deo; Natura enim comparatum eſt, vt inferiora ſint in ſuperioribus, quouſque ad ſupremum ventum ſit, in quo ſunt omnia, ipſum verò in nullo eſt, & habet omnia à nullo habitum. Itaque ſi hæc verè dicuntur, Anima nuſquam eſt, & vbique eſt; nuſquam eſt, quia à nullo corpore continetur; vbique eſt, quoniam vniuerſa natura corporea ab ipſa cõtinetur. Porò Anima mundum gubernans, ſuasque explicans effectiones nulla afficitur permutatione, quia cùm multò præſtantiùs ſe habeat ad opus proprium, quàm cuiuſque viuentis natura ad ſuum peculiare; & hæc neque agendo conſultet, neq; diuerſa producendo permutetur, abſurdũ fuerit has mutationes in Anima mundi perquirere. Amplius cùm per ſuam ſubſtantiam vniuerſum moderetur, illud ſempiternè, nulloque labore gubernet eſt neceſſe, quoniam omne, quod per ſuam ſubſtantiã facit quodpiam, quodcunque agit, nullo negotio molitur. Itaque illi neutiquam ſunt probandi, qui humanã prouidentiam cum ea, quę eſt Animę mundi, nituntur comparare, nam homines in rebus adminiſtrandis conſultant, animis laborãt, in multis dubitationibus verſantur, & à vita felici ſæpenumero coguntur declinare; at Anima totius machinæ naturalis cùm ſit potentiſſima, atque perfectiſſima, & illius prouidentia generalis, ac conſummata, extra quam nihil eſt, quod eius imperio repugnet, in diuinæ prouidentiæ munere perfungẽdo neque laborat, neque minus efficitur beata. Adde nulla conſultatione gubernare, nec quicquam curioſè corrigere, ſed ex ſui ipſius ad ſuperna intuitu omnibus mundi partibus

munera

munera pro ſuſcipientis capacitate contribuere. Huc accedit eam, quò magis in ſuo ſe figit intuitu, eò pulchriorem euadere, atque potentiorem, & à ſuperioribus accipientem in inferiora transfundere, & tanquam diuinitus illuſtratam ſemper illuſtrare. Sed cùm de tribus diuinis principijs, generalique prouidentia ſatis dictum ſit, nunc de sphærarum, ſtellarumq; animis, & ipſarum prouidentia diſſeramus.

Singulis ſphæris ſingulæ animæ ſunt tributæ, ad quas pertinet prouidentia minus generalis. Caput XV.

CVM globi iſtius conſtitutionis plures numerentur, octo cœleſtes, & alij elementares, atque hi globi ſpecie, motibus, & proprietate inter ſe diſtinguantur, à ratione non videtur diſſentaneum ſingulis ſingulas animas deſtinare, quæ ſpecie, & virtute à ſe mutuò diſcrepantes iſtis globis inſideant, atque vitam impertiant. Neq; abſona dicimus, aut facimus his animalibus duas formas aſſignantes, quia vnam conſtituimus cõmunẽ, Animã ſcilicet mundi; alteram propriam, illam nimirum, quæ cuiq; peculiariter eſt dicata. Singulis his ſphærarum animis vires duæ ab Orpheo fuerunt attributæ, vna in cognoſcendo poſita, altera in corpore animando, quæ ab eodem diuerſis nominibus fuerũt nuncupatæ. Cognoſcentem enim in elemento terræ Plutonem nominauit, animantem verò Proſerpinam; in aqua Oceanum illam, hanc Therim; in aere Iouem, & Iunonem; in igne Phanetam, & Auroram; in Luna Bacchum Licnitem, & Thaliam muſam; in Mercurio Bacchum Silenũ, & Euterpem; in Venere Bacchum Lyſium, & Erato; in Sole Bacchum Trietericum, & Melpomenem; in Marte Bacchum Baſareum, & Clio; in Ioue Bacchum Sabazium, & Terpſichorem; in Saturno Bacchum Amphietum, & Polymniam; in octaua sphæra Bacchum Perichionium, & Vraniam; demum

in Anima mundi vim priorem Bacchum Eribromum vocauit, poſteriorem muſam Calliopem. Singulis muſis voluit Orpheus Bacchum aliquem præſidere, vt hoc vires harum animarum diuinæ cognitionis nectare ebrias eſſe ſignificaret. His omnibus Platonici aſſentiuntur, ac præterea aſſeuerant ſphærarum, ac Stellarum animas, & ipſius quoque mundi non ſolùm compotes eſſe facultatis, qua intelligunt, & ratione vtuntur, verùm etiam vires ſentiendi (quamuis à noſtris plurimùm differentes) habere, quibus humana vident, preces audiunt, & cuncta adminiſtrant. Cuius conditionis ſit facultas ſenſualis his animabus attributa, ex Proclo facile eſt intelligere, qui in com. in Timæum ſtatuit quatuor eſſe ſenſuum differentias, in quarum prima ſenſus continetur, qui Mentem imitatur, hic enim, quòd ſenſibilia habeat ingenerata, neque in aliud ex alio tranſit, neque ad exteriora ſe protēdit, ſed in ſeipſum conuertitur, non aliter atque Mens, quare potius conſenſus, quàm ſenſus eſt nuncupandus. Ab hoc ſequitur alius ſenſus dignitate quidem inferior, & ad exteriora ſeſe extendens, uerùm actionem ex ſe promens ſuis numeris abſolutam, eodemque modo ſe ſemper habentem. Enimuero ſenſus hic quicquid ſibi obijcitur ad ſentiendum, id ſimul totum, atque ſemper eodem modo compræhendit abſque ulla penitùs perpeſſione. Tertio loco is ponitur ſenſus, qui obnoxius exteriorum ſenſibilium perpeſſioni incipit à paſſione, & deſinit in actionem, atque cognitionem. Omnium nouiſſimus eſt ſenſus quidam imperfectiſſimus, qui, quæ illius eſt natura, magnam habet cum paſſione familiaritatem, nec rerum ſenſibilium formas compræhendit, ſed ſuaue tantùm, atque moleſtum. Primus ſenſus proprius eſt Animæ mundi, quocirca mundus ſenſum habet non uagum, & ex alio in aliud permeantem, ſed in unum collectum, & in re cognoſcenda actu abſoluto, totumque ſimul permanentem. In hoc præterea idem eſt ſenſus, ſenſibile, atque ſenſio, non ſecus atque in Mente ipſius conditrice, cuius eſt imago, idem eſt res intelligens, intelligibile, atque intellectio. Porrò mundus veluti

vnius

vnius corporis amplexu omnia in ſe coercet corpora particu laria, eodē modo unico ſenſu immateriali, & indiuiduo omnes continet ſenſus, illiusq; miniſterio & omnes ſenſiles qua litates, & omnium ſenſilium ſubſtãtias planè cognitas habet. At forſitan quæres quid interſit inter hunc ſenſũ, & intellectũ in ſubſtantia cognoſcenda. Dicendum eſt mundi ſenſum ſubſtantiam cognoſcere in re ſubiecta exiſtentem, & hanc intellectu comprahendi à ſubiecto abſolutam. Rurſus obijcies Platonem in Timæo aſſeuerare opificem mundi ſumma cum æqualitate mundum tornaſſe, nec oculos, aut aures illi dediſſe, quòd extra mundum nihil eſſet, in quod oculi, aut aures intendi poſſent. Reſpondendum eſt Platonem non omnem ſenſum è mundo tollere, ſed patibilem, & foras ſeſe exerentem, atque per uaria corporis inſtrumenta diſtributum. Sphærarum animæ ſecundam ſenſus differentiam ſunt ſortitæ. Corpora etenim ipſarum cùm partes ſint uniuerſi, & aliquid extra ſe habeant, ſenſum requirunt, qui neque in ſeipſum tantùm reflectatur, ſed in aliud tranſeat, & pertineat per vniuerſum: Porrò cùm ſint æterna, & nulli mutationi peregrinæ expoſita, ratio poſtulat, vt ſenſum ſibi vendicent, qui ſit abſque aliqua paſſione, & agendo ad externa protendatur. At verò animalia, quæ in generatione verſantur, tertium ſenſum obtinent ex actione, atque paſſione commiſtum. Quartus, & nouiſsimus, qui ad naturalem ſympathiā proximè accedit, plantis eſt aſcriptus, cuius ope ad ſe alliciunt quicquid ipſarum naturæ eſt familiare. Atqui de his hactenus. Sphęras cœleſtes eſſe anima præditas certius eſt, quàm vt in hoc exponendo longior ponatur oratio, nam hoc tanquam exploratum veteres philoſophi acceperunt, Platonici retinuerunt, & Peripatetici comprobarunt. Addiderunt Academici has cœleſtium globorum animas, ipſamque Mundi Animam in vnum chorum nouem muſarum conſpirare, quarum harmonicis concentibus cuncta abſoluuntur; hiſque muſis Apollinem, hoc eſt Mentem, quam hoc nomine appellant, præeſſe. Vnde Pythagoras cœlum Dei lyram nominauit, ad cuius harmoniam

cuncta

cuncta numeroſè canunt. Quinetiã dixerunt ab Anima mun di veluti totius vniuerſitatis muſa cantus fundi ex gutture naturæ,& in cœlorum fidibus neruos pulſari. Naturam canere, & totam illius machinam generali concentu ex multis cantibus, moduliſq; compoſito perſonare finxerunt, quia omnes ipſius rationes certis, definitiſque temporibus euoluuntur, & pariter reuoluuntur. Iidem affirmarunt tangi chordas cœleſtis lyræ, quòd ſtellarum errantium, & inerrantium curſus tam bellè conficiuntur, & numeroſè moderantur, vt dulcem videantur efficere harmoniam ad perpetuam naturæ cantus concordiam inſtitutam. Nunquid verò elementorum ſphæræ animas obtineant,non nihil habet dubitationis,at inquiũt Platonici,ſi horum naturas paulò accuratiùs voluerimus con templari, hoc erit euidentius, quàm vt poſsit in dubium venire. Illud omnibus compertum eſt, vbi generatio, nutritio, & accretio locum habet, ibi animam adeſſe, cuius hæc ſunt officia, ergo cùm ex proprijs terræ ſeminibus arbores innumerabiles, & animantes quamplurimi oriantur, alantur, & adoleſcant, nemo illam viuere hæſitabit. Licet enim oculis intueri in dies ſingulos permulta animalia abſque vllo proprio ſemine,ſed tantùm ortu ſpontali de materia putrente in terra,& in aqua prouenire, atque plantas plurimas ſine ſemine,& germine multis in locis pullulare. Ex quo factum eſt,vt Phœnices,& Ægyptij, quibus hæc omnia erãt perſpectiſsima, auſi ſint aſtruere omnia animantium genera agente Solis vi ex terræ viſceribus fuiſſe producta. Quinetiam Arabes quidam philoſophi non inerudití poſt miranda aquarum diluuia animalia perfectiora, & ipſum hominem eodem modo poſſe procreari exiſtimarunt. Hæc omnia terrenæ animæ beneficio gigni, & viuere id nobis eſt argumento, quòd ſtirpes quandiu terræ radicitus hærent, tandiu creſcunt, & muneribus vitæ funguntur; extirpatæ verò extenuantur, & emoriuntur. Præterea cùm corpora concreta exiguas mundi portiones viuere ſit depræhenſum, quis non putet flagitium terram tam ingentem vniueſi partem eſſe animæ expertem, nullaſq;

peſi-

perficere vitæ functiones? Quòd ſi quis obijciat in corporibus compoſitis anima præditis venas, neruos, variaque inſtrumenta reperiri, quibus foris dantur animæ effectiones, hic ſi terram diligenter inſpiciat, ſine vlla dubitatione intelliget illam eſſe maiori varietate diſtinctam: Huic denique rationem animi ineſſe colligitur ex his lib. 14. ſecretioris ſecundũ Ægyptios philoſophiæ cap. 10. Primùm quòd ipſa accreſcit, monteſque congregat, atque eiſdem dat incrementum: Deinde quòd in medijs montibus meatus plurimi ſunt interiecti, & concauitates, riuique, & alia quædam per animum, qui eiuſmodi formarum cauſſa eſt effectrix. Poſtremò quòd terræ ratio formatrix interioribus operationibus ſecũdum naturam ſibi ſimilem efficit arborem, arborique ramum, poſtquam exciſus eſt. Hæc enim ſunt vitæ opera, quæ niſi ab eo, quod eſt vitæ particeps poſſunt exerceri. Ergo ſi terræ infimæ (vt ita loquar) vniuerſitatis feci anima eſt tributa, vt etiam Indorum ſapientes confirmant, quid erit abſurdi ſentire aquam, & aerẽ partes mundi multò præſtantiores vitam agere perfectiſſimã? Demum elementorum animæ liquidò monſtrantur ab eorundem deſcenſu, & aſcenſu. Hi motus de ſententia Ficini lib. 4. theol. animæ adminiculo efficiuntur, quæ vti magnes ad ſe allicit ferrum, eodem modo, & ipſa globi ſui particulas ad ſe dicitur reuocare. Atque hinc fit, cur motus lapidis deſcendentis quò magis terræ appropinquat, eò ſit incitatior, & motus ignis ſeſe ſurſum efferentis, quò cœlo redditur propinquior, eò celerior efficiatur, quoniam anima ſphæræ cominus trahit vehementiùs, ſuaſque vires magis exercet, quàm eminus. Ex his concludendum eſt ſingulas ſphæras ſiue immortales, ſiue caducas ſibi proprias animas vendicare, quæ uitam ſubminiſtrent. Ad has animas, & illas, quę ſtellis inerrantibus ſunt aſcriptæ, inquiunt Platonis doctrinæ ſectatores minus generalem prouidentiam pertinere, quæ ſecunda à Plutarcho ponitur, quippe harum quælibet omnibus caducis certè proſpicit, omnia tamen minimè præſtat, ſed tantùm quę ad propriam ipſarum naturam ſunt accommodata. Elemen-

torum, & cœlorum animas ex ſe multas fundere opportunitates in his rebus gubernandis, quæ mundi amplexu continentur, tam certum eſt, vt qui ambigat, omnium ſit imperitiſſimus. Has apud Platonem in Timæo Deus pater ſic fuit alloquutus: *Sed adhuc quid ſubijciam cognoſcite: Tria adhuc genera mortalium nobis generanda reſtant, abſque horum generatione cælum imperfectum erit: Omnia enim animantium genera nõ continebit; contineat autem oportet, ſi eſt mundus omnino perfectus futurus. Hæc ſi à me fiant ſolo, vitaq; donentur, Dijs adæquabuntur. Quapropter accedite vos ſecundum naturam ad animantium generationem, ita vt vim imitemini meam, qua in ortu veſtro ſum vſus. Atque eius quidem animalis, quod in ipſis tale futurum eſt, vt cum immortalibus appellatione conueniat, diuinumq; vocetur, principatumq; teneat, & iuſtitiam ſimul ac vos vltrò colat, ego vobis ſemen, & initium tradam: Vos cætera exequi par eſt, vt immortali naturæ mortalem attexentes faciatis, generetisq; animalia, ſubminiſtrantesq; alimenta augeatis, & conſumpta rurſus reficiatis*. Hæc igitur vbi cœleſtes animæ intellexerunt, nihil fuit illis antiquius, quàm Dei patris mandata perſequi diligenter. Itaque ab elementorum mole ignis, aeris, aquæ, & terræ particulas ad vſuram definiti temporis mutuatæ in eandẽ aliquando redituras, easq; inter ſe varijs, miriſque modis commiſcentes triplex animalium genus effinxerunt, volatile ſcilicet, aquatile, & pedeſtre; atque humana corpora figurantes illis hominum animas extrinſecùs circundederunt, incolaſque fecerunt totius orbis terrarum. Neque ſolùm hæc opera ſunt molitæ, verùm etiam horum omnium curationem ſuſceperunt, & quæcunque putarunt fore illis ad cultum, & vitæ diuturnitatem neceſſaria, liberaliter ſubminiſtrarũt. In hac autem curatione rentur Platonici ſtellas neque omnia facere; neque vbi efficiunt, omnino, & per ſe ſolas agere; & multa præterea ſignificare, in quibus efficiendis ipſæ nihil afferunt adiumenti. Multa ſignificant ob admirabilem rerum connexionẽ, quæ tam aptè, congruenterque ſunt inter ſe colligatæ, vt vna commodè poſſit ſignificare quid alteri ſit euẽturum. Et ſanè ſi quis poteſt animalis

malis mores,& naturam ex fronte,oculis, vultu, corporeque pernoſcere, quid erit abſurdi ſtellas præſtantiſsimas mundi partes plura ex his ſignificare,quæ mundi partibus inferioribus poſſunt euenire? non enim maior eſt partium animalis conſpiratio, quàm mundi partium connexio. Itaque ſtellæ, ſtellarumque motus,& aſpectus ſunt veluti futurorum literæ, & ſignificationes in cœlo deſcriptæ,quibus cognitis de futuris promptum eſt diuinare. Hæc verò,quæ à ſtellis ſignificantur multa quidem ſunt,ſed omnium maximè actiones humanæ, quæ quoniam hominum conſilio, proq; illorum arbitrio perficiuntur,interdum fit,vt ſigna ipſa falſa ſint, plenaque erroris. Has ſtellarum ſignificationes non homines, quibus cœleſtis liber neutiquam patet legendus, ſed Dæmones quibus tota cœli literatura eſt perſpecta, poſſunt cognoſcere, quod Origenes aſſeruit,& Plato in Timęo his confirmmauit: *Quid fiat, inquit, vel ſignificetur ex cæleſtium habitudine, tentare vanū eſt ſine diligenti ſimulacbrorum illorum inſpectione: Omnia verò illa perſpicere non noſtrum, ſed Dæmonum eſt: nobis enim nec ætas, nec oculus,nec ingenium ſuppetit.* Neque verò omnes Dæmones rerum futurarum prædictioni poſſunt inſeruire, quoniã, qui vel in aere habitant cœlum attingente, vel hunc infimum incolunt terras complectẽtem, dedecet ex cœlorum inſpectione hæc noſtra futura præſentire, illos quidem, quia diuinarũ rerum contemplatione fruentes turpe eſt mortalium diuinationes tractare: hos, quia cùm hæc noſtra adminiſtrent, par eſt potius ex his, quæ rerum caducarum ſunt propria, quàm ex cœleſtibus euentorum argumenta venari. Quapropter ſupereſt ſolùm Dæmones, qui inter hos, & illos ſunt interiecti, rerum cœleſtium eſſe ſpectatores, & ad hoc munus diuinandi peragendum accommodatos, atque ab his homines aliquando (vt ait Origenes) rerum futurarum pręſagitiones accipere. Quicunque igitur putant ex cęli inſpectione ſibi poſſe comparare certam,& exploratam futurorum pręcognitionem, falſam habent opinionem. Eueniunt ſanè interdum, quæ Aſtrologi fuere vaticinati, ſed cùm multò ſint plura,quæ

ab illis prædicta non eueniunt, concludendum eſt eos temere, ac fortuitò incidiſſe in veritatem. Iſtud complures homines clari, & Aſtrologicis inſtitutionibus exculti pro comperto habuerunt, nam Eudoxus Platonis auditor vir inter Aſtrologos eruditione, & doctrina præſtans ſcripſit Aſtrologis in prædictione, & notatione cuiuſque uitæ ex natali die non eſſe credendum. Archelaum, & Caſſandrum præſtantiſsimos ſuæ ætatis Aſtrologos prædictionis genere nũquam vſos fuiſſe legimus. Scylax Halicarnaſſeus excellens in Aſtrologia totum genus prædicendi reiecit, quod quoque Panetius illius familiaris repudiauit. Eiuſdem opinionis fuit Phauorinus philoſophus, cuius docta, & egregia diſſertatio extat apud Aulum Gellium lib. 13. noct. atticarũ cap. 1. in qua damnantur, & irridentur illi, qui ſeſe Chaldæos, ſeu Genethliacos appellant, atque ex motibus, poſitionibus ſtellarum dicere poſſe, quæ futura ſunt, profitentur. Atque ſanè tantùm abeſt, vt explicata futurorum præſenſio certa ſit hominibus, vt multis Deorum, & Demonum (affirmat Porphyrius in lib. de oraculis) prorſus incerta ſit, plurimiſque ambagibus referta. Porrò ſtellæ, & ſtellarum animæ faciunt quæcunque corporis ſunt propria, atque ea conditione, quæ eſt communis, & generalis, quæque ab his, quæ nobis ſunt propinqua, poteſt impediri; non enim per ſe ſolæ quidquam poſſunt efficere, in mundo ſublunari, ſed expoſtulant cauſſarum ſecundarum, & primarum miniſterium, quod multis, varijſque mutationibus expoſitum poteſt interrumpi; ac ſæpenumero vtuntur Dæmonum famulatu, qui non ſolùm Deo ſummo rerum omniũ opifici famulantur, verùm etiã pediſſequi ſunt Deorum, qui ſtellis præſunt, & orbibus vniuerſi, quorum mandatis ſatisfacientes his omnibus proſpiciunt, quæ à mundo complectuntur. Sic igitur inferiora cœleſtium Deorum vires per medios Dæmones nanciſcuntur, & in ſe recipiunt. Nec animalia modò, ſed etiam ſtirpes, & plantæ ita generantur, vt hæ quidẽ huius, illæ verò illius imagine figurentur. Immo multiplices virtutes pro Deorum, Dæmonum, ſtellarumque varietate ad lapi-

dες,&

des,& metalla Plotino,Proclo, & alijs placuit deriuare, & in ijs occultæ facultatis, per quam ſupra elementares materiæ qualitates agere dicuntur,cauſſam eſſe poſitam exiſtimare,vt quòd Iaſpis ſanguinem cohibeat; quòd Pœonia collo ſuſpenſa caput corroboret; & quòd Ebenus ſuo contactu quicquid eſt maleficij procul auertat, ad varias Deorum facultates per varios Dæmones his rebus conſignatas eſt reuocandum. Hęc verò munera, quæ à cœleſtibus proueniunt, haud quaquam talia,qualia in ipſis reperiuntur,in his mortalibus poſſunt ſuſcipi,ſed teſte Plotino lib.vtrum ſtellę aliquid agant,multùm degenerant,& à propria natura dimouentur,quod vel exemplo huiuſce noſtri ignis poteſt declarari, qui licèt à cœleſti ſit procreatus, attamen magnam habet cum eo diſsimilitudinē; etenim æthereo nihil eſt conſtantius, noſtro nihil inconſtantius; ille nullius rei indigens alimento ſemper vitales nobis impertit vtilitates,hic valde noxius quòcunq; peruadit, omnia deuaſtat,& niſi alatur,permanere non poteſt. Et vt paucis multa complectantur,omnia,quæ inſunt cœleſti,naturam habent diuinam, nullaque labe contaminatam, quæ verò noſtrati ſunt conceſſa,naturam ſibi aſciſcunt mortalem, & multis vitijs deprauatam. Cauſſæ iſtius degenerationis ſex à Iamblicho,& à Platonicis commemorantur.Prima,quoniā quod manat à cauſſa ſuperiori eo ipſo quòd fluit, iacturam facit propriæ perfectionis,quandoquidem recedit ex eo loco, qui illius ſalutem optimè conſeruat. Secunda, quia res in ſubiecto viliori ſuſceptæ viliores, deterioreſque redduntur. Altera,quoniam quicquid recipitur,pro rei accipientis conditione ſuſcipitur, quare cùm hæc mortalia ſint à rebus cœleſtibus multùm differentia, neceſſariò quicquid ipſis tribuitur ab æthereis corporibus, modo diuerſo ſuſcipitur, atque à ſui ipſius natura maximè diſsidens efficitur. Quarta, quòd hæc caduca accipiant multa inter ſe repugnantia,& cœlo minimè congruentia, ex quo euenit, vt munera cœleſtia ipſis tributa inficiantur, & alterius rei admiſtione in deterius labantur. Quinta, quoniam ſubiecto perpetiente vires cœleſtium ſuſcipiun-

piũtur. Poſtrema, quòd ex omnibus à ſubiecto comprehenſis aliud quiddam maximè diuerſum reſultat. His omnibus fit, vt ea, quæ apud ſuperos bona ſunt, in nobis ſæpe mala euadant, atque prauas ſubeant cõditiones. Verumenimuero ſtellæ fixę, & errantes tametſi multùm faciant ad mundi ſalutem, & curationem, non omnia tamen ab illis efficiuntur, vt multi Aſtrologi peruersè ſunt opinati, qui Chaldæorũ, Aegyptiorũ que nugis irretiti tradiderunt ſtellas viribus quibuſdam occultis, & ſuis motibus facere non ſolùm inopias, & diuitias; proſperámque valetudinem, & aduerſam; verùm etiam turpia, & pulchra; vitia, & virtutes; & omnia inſuper, quæ his caducis cernuntur euenire; ſiquidem ſtellæ pro locorum mutatione, & aſpectuum varietate multas, & contrarias naturas induentes modò beneuolæ nobis efficiuntur bona tribuentes, & modò maleuolæ malis onerantes. Principiò Aſtrologi falſa opinione, & errore duci ex eo vel in primis oſtenditur, quòd ipſi exiſtimantes ſe poſſe defendere ſummam cœli dignitatẽ, ſi illud fontem, & principium conſtituant, ex quo omnia defluant in hæc caduca, & mortalia, tantùm abeſt, vt iſtud conficiant, vt contrà cœlum omni turpitudine fœdent; Ratio eſt in promptu; quoniam quicquid ſceleris editur à nobis vitio prauæ voluntatis, & quicquid monſtroſi in natura accidit inordinatione flexibilis, commutabiliſque materię, id totum ſideribus conantur attribuere; ergo quomodò quis poterit tueri cœlorum dignitatem, ſi omnia flagitioſa, & monſtroſa quæq; ad ipſos referuntur? Et ſi omnia celitus immittuntur, & neceſſariò eueniunt, cur homines ſępenumero deliberare, & conſultare de officiis ſolent? Et ſi mores, ac virtutes à ſtellis habemus, quid eſt, vt eas conſuetudine, educatione, atq; exercitatione adipiſcamur? Iuſti namque, temperantes, forteſq; efficimur, cùm ea exercemus, quæ iuſta, quæ temperata, quæque fortia exiſtunt. Amplius quis riſum teneat audiens ſtellas facere bella, ſeditiones, vrbium euerſiones, & regnorum commutationes? quippe horum in cauſſa ſint odia, irę, regnãdi cupiditas, & amor ipſe iuſtitiæ. Sed Plotinum audiamus.

qui

qui loco ſupra citato contra huius vanitatis aſſertores in certamen deſcendit illos interrogans nunquid ſtellæ ſint animatæ, an potius anima careant: Si hoc dixerint, vſque ad corporum noſtrorum naturas tantùm actiones ſuas, & munera propagabunt, in ijs autem, quæ propria ſunt animæ, nullum imperium habebunt, quoniam quicquid agit in animā, per animam agat eſt neceſſarium; quomodò igitur poterunt efficere alios ſapientes, alios ignorantes, & alios diuitijs affluentes, alios in paupertate degentes, & cætera quæ nullo modo ex ipſa corporū miſtione cauſſam, per quam fiat, habere poſſunt, veluti quòd talem habeas fratrem, talem filium, & vxorem, atque quòd aliquando res tibi proſperè ſuccedant, & aliquando bona eripiantur? non enim quæ ratione, conſilioq́ue geruntur, qualia ſunt noſtra, decet diſponi per corpora inanimata. His addo, quòd ſi ſtellæ ſunt anima carentes, impulſu naturæ ſuas profundent effectiones, ergò non magis quæ ratione vtuntur, quàm quæ viuunt, aut ſenſus habent, vi corporum cœleſtium agitarentur, nec ſtellæ magis in hunc, quàm in illum ſuam vim exercerent. Quòd ſi concedant, vt vel inuiti concedere coguntur, quid eſt, vt doctiſſimè dicebat D. Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 7. cur tritici grana eodem tempore ſata non ſimul radices agant, & à terra pariantur? & quæcunque eodem tempore germinant, non ſimul pubeſcant, & flaueſcant? Quid eſt præterea, cur vno, eodemq́ue temporis puncto nati diſſimiles & naturas, & caſus habeant? Proclum, & Euriſthenem Lacedæmoniorum reges geminos fratres fuiſſe, atque hos nec totidem annos vixiſſe, (anno enim Procli uita breuior fuit) & alterum alteri rerum geſtarum gloria præſtitiſſe ex hiſtorijs didicimus. Sin autem ſint animatæ, agantq́ue conſilio, quod Albumaſar, Zaeles, & Hali Aſtrologi non obſcuri nominis confirmant, dicant amabò quidnám iniuriæ à nobis acceperint, ut nobis ſponte quotidie noceant? præſertim cū in ſede diuina poſitæ ſint & ipſæ diuinæ, neque omnino ex humana ſiue proſperitate, ſiue aduerſitate boni quicquam, uel

mali

mali illis accedat. Dicent fortaſſe ſtellas non ſponte talia facere, ſed locis, figuriſque coactas. Verùm quomodò loci, & figuræ, quibus nulla agendi facultas eſt conceſſa, ſtellis queũt vim afferre? Ad hæc ſi ſtellæ compulſæ talia efficerent, oporteret omnes, dum in eiſdem locis, figuriſque conſiſtunt, eadem ſuppeditare, quod ab illis minimè conceditur. Rurſus ridiculum eſt ſidera ſecundum quamlibet cęli portiunculam, quam percurrunt, alterius fieri, atque alterius naturæ, aliaq; rurſus, & alia exhibere, quaſi Cameleontis inſtar nihil habeāt conſtantis, ſtabiliſque naturæ. Amplius quis audeat affirmare ſtellas uagantes aliam habere naturam cùm exoriuntur, atque ſunt in angulis, & aliam cùm occidunt, & ab angulis declinant? eodem namque tempore idem planeta nobis eſt in angulis, & gentibus loginquis declinat, atque contrà; uarias igitur eodem tempore naturas ſibi uendicabit. Demum ſi uerè diceretur ſtellas habere ex locorum mutatione, quòd nunc bona, nunc mala exhibeant, ipſa ſiderum conditio inter omnia corpora eſſet infimæ fortunæ, & nullius ferè dignitatis. Hoc inde intelligitur, quoniam ex progreſsione à ſeipſis diuerſæ efficerentur, quod in animalibus caducis, quæ omnium maximè ſunt mutationibus expoſita, minimè cernitur; & præterea effectiones, quas perficiunt, non ex intima ipſorum ſiderum ſubſtantia emanarent, ſed ex ui extrinſecùs ingruente; atque ſtellas haſce effectiones explicare cogente; atqui natura corporea tantò eſt præſtantior, quantò effluens ab illa operatio magis ex intima ſubſtantia ducitur. Chalcidius quoque in Timæi commentarijs monſtrat fieri non poſſe, ut mala ex ſtellis influant in hunc mundum, nam ſi mala ab his prouenirent, utrúmne ipſis uolentibus, an inuitis? Si uolentibus, ſtellæ erunt maleficæ: Sed maleficas eſſe in illo ſancto, & pleno bonitatis loco quatenus conuenit? Cumque ſidera omnia plena ſint cæleſtis ſapientiæ, & malitia naſcatur ex dementia, quid peruerſius dici, aut excogitari poteſt, quàm ſtellas eſſe maleficas? Quòd ſi aliquis contendat eaſdem interdum eſſe bonas, interdum malignas, proptereaque promiſcuè benefi-

cia,

cia, & maleficia præbere, id, quod fas non eſt, affirmabit, quo niam abſurdum eſt putare cæleſtem ſubſtantiam una, eademque natura præditam non in omnibus ſtellis eandem eſſe, ſed pleraſque à propria natura deſciſcere. His adiungo, quòd ſi hic ad id uoluerit ſe recipere, ut aſſeueret non affici aliter, atque aliter ſiderum naturam, ſed pro uario ad terram expoſito ſideris ſitu diſsimiles fieri radiorum iaculationes, atque inde diuerſas concitari radiorum, ſiderumque effectiones, non minus falſam habebit opinionem, quoniam qualitas effectus ex radio egredientis pro radij qualitate, & pro natura corporis radium emittentis, non pro diſsimili radiorum coniectione diſtinguitur. Iſtud quilibet poteſt in radio Solis agnoſcere, qui quocunque modo, quacunq; habitudine in terram conijciatur, ſemper calorem parit, & lumine colluſtrat. Poteſt quidem ad diuerſum radij coniectum conſequi maioris, & minoris effectus diuerſitatem, quia radius uel de proximiore loco, uel rectà deſcendens maius lumen ex ſe fundit, & magis calefacit, quàm ſi ueniret obliquè, aut è loco remotiore, ſed non alia in effectu poteſt naſci uarietas. Iam uerò ſi ſtellæ inuitæ hoc patiuntur, quænam erit illa tanta neceſsitas, quæ inuitas cogat delinquere? & hæc ipſa utrum diuina erit anima, an maligna? Iure igitur, & meritò Plato in Epinom. non ſolùm aſſeuerat, ſi quid mali in his accidit, diuinam naturam non eſſe culpandam, ſed humanam, quæ iniuſtè uitam ſuam diſtribuit, uerùm etiam aſſeueranter dicit aſtrorum naturam uiſu pulcherrimam, atque progreſſu, & chorea optima, omniumque chorearum magnificentisſima utentem cunctis mortalibus commoda præbere. Conſimilem ſententiam habet Plotinus lib. contra Gnoſticos, ubi nos admonet, ut tragicos terrores, quos ex cælorum globis nonnulli incutiunt mortalibus, contemnamus, quandoquidem corpora cæleſtia hominibus afferunt omnia ſalutaria, nihilque in ſe continent, quod quiſpiam debeat extimeſcere. Et quamuis ignea ſint, nihil tamen inferunt moleſtiæ, nullamque tyrranidem exercent, quippe quæ ſpecioſa magnitudine, & eximia pulchritudine donata

ad omnium, quæ natura fiunt, generationem, & conſeruatio nem magnas ex ſe fundunt opportunitates. Quæ omnia à Iamblico confirmantur atteſtante cuncta cæleſtia eſſe benefica,& uirtutes, quæ inde ad nos delabuntur, eſſe bonas,& ualde ſalutares, quamuis rei ſuſcipientis peruerſa conditio peruersè ſuſcipiat,& eiuſdem infirma natura non facilè posſit ſuperiorum efficaciam ſuſtinere. Neque ab his diſſentiunt Proclus, & Maximus Tyrius, quorum hic ſerm. 25. putat mala non eſſe cælitus, quòd extra chorum cæleſtem ſedes habet inuidia: Ille in commentarijs in Alcib. ſcribit ſuperos harmonica ratione omnia mundana continere, perficere, atque inter ſe,& ad mundum accommodare. Huius demum opinionis eſt autor diuinæ ſecundum Aegyptios philoſophiæ, qui lib. 6. cap. 1. idcirco non probat ſtellas eorum malorum cauſſas eſſe, quę in inferiore mundi parte contingunt, quòd earum actiones à uoluntate non proficiſcantur, cùm illæ uoluntate ſuperiores ſint, idq; ſolùm boni,& mali principium eſſe poſſit, quod agit ex uoluntate, quod uerò uoluntate ipſa ſuperius eſt, in id ſolum, quod bonum eſt, feratur. Et profectò cùm cæli machina ex multis corporibus ſit coagmentata inter ſe magna amoris conſpiratione conſentientibus, adeo concinnam, ſuiſque numeris abſolutam ex ſe promit harmoniam, ut ſicut in ipſa omnia conſentiunt, ita ratio poſtulet per eam nihil unquam diſſonare in his partibus mundi inferioris; Quòd ſi quid incõcinni, diſcordiſq; in his percipitur, id ad cælum,& ſidera non eſt referendum, ſed ad quatuor elementa, quæ cæleſti effectioni ad numerum illa ſemper, concordiamque mouenti minimè reſpondent ob fluxibilis materiæ indefinitionem. Ex his datur intelligi neque mala à ſtellis defluere, neque omnia effici, tametſi magna habeatur ab ipſis harum rerum procuratio.

Dæmones

Afferuntur argumenta, quibus Dæmones eſſe in rerum natura perſuadetur. *Cap. XVI.*

NVNC erit ſermo de Dæmonibus, quibus à Platonicis prouidētia particularis fuit demandata. Dęmonis nomen tametſi in noſtra religione ſoleat in partem deteriorem vſurpari, pro ea natura, quæ cùm in prima mundi origine à Deo perfectiſſimam rationem, atque intelligentiam accepiſſet, ſuo peccato de dignitate deiecta eſt, cœloque depulſa; veteribus tamen, atque Platonicis non ita eſt odioſum, ac infeſtum, quippe qui hac appellatione Deos quandoque complexi ſunt. Ab his enim Dæmonum alij ſua natura dicuntur Dæmones, quidam habitu, & nonnulli ſimilitudine. Qui ſua vi, & propriè vocantur Dæmones, ſunt animæ inter Deos, & homines interiectæ, proprijsque viribus, & officijs ab his, & illis differentes, quibus peculiariter tributum eſt Deorum eſſe miniſtras, & rebus mundanis proximè proſpicere. Dæmones ſimilitudine ſunt illi, qui proximè prouident alicui, ſiue ſint Dei, aut Dæmone inferiores. Vbique enim, quod proximè præeſt, veteres Dæmonem appellare conſueuerunt propter hanc, quæ illi cum Dæmone propriè dicto intercedit, ſimilitudinem; Atque hac ſignificatione Iuppiter apud Orpheum Dęmonis nomine Saturnum appellauit; & Plato in Timæo Deos, qui generationem è propinquo diſponunt, Dæmones nominauit; vbi ait; *De alijs Dæmonibus tractare, eorumq; generationem in lucem edere maius eſt opus, quàm ferre humanum poſſit ingenium.* Habitu Dæmones vocantur animi, qui adeo mirabiles ex ſe promunt operationes, vt ſuperent humanā conditionem, & ab ijs, quæ propriæ ſunt Dæmonum, vix, aut ne vix quidem videantur abſimiles, totamque vitam ſuam ex Dęmone ſuſpendunt. Hac ratione Proclus cenſet Socratem in Rep. vocabulo Dæmonum animos nuncupaſſe qui vitam ſanctè, honeſteque tradu-

xerunt, & in meliorem ſortem tranſlati loca auguſtiora incolunt; De ijs, qui ſua natura ſunt Dæmones, inſtituta eſt nobis diſputatio, quique ſint ne in ratione rerum, magna eſt inter philoſophos altercatio. Peripatetici cùm nullas habeant firmas argumentationes, quibus innixi hoſce ſtatuant in rerum vniuerſitate, atque ea, quorum iſti creduntur autores, aut in naturam, hominum cognitionem, facultatem imaginatricem, humorem melancholicum, cauſſaſq; alias euidentes ſtudeant reuocare, aut falſa, & à vafris quibuſdam excogitata putent, Dæmones ceu ſuperfluos ex mundi finibus exterminant. In hanc opinionem deſcenderunt Epicurei, hoſque dixerunt in hominum opinionibus tantùm nomine vagari, re autem ipſa nihil eſſe omnino. Platonici, & Stoici Chaldæorum, Aegyptiorumque teſtimonijs innixi, atque antiquis oraculis, & pleriſque hiſtorijs freti his omnibus refragantur, Dæmonesque in rerum naturam eſſe inuehendos, & multarum rerum cauſſas exiſtere aſſeuerare minimè verentur. Et profectò (hoc pacto argumentantur) ſi propriæ cuiuſque effectiones maximam vim habent, vt illud in mundo exiſtere comprobetur, nemo fuerit tam pertinax, qui multas Dæmonum operationes priſcorum oraculorum reſponſis declaratas, & ab hiſtorijs immortalitati conſecratas oculis, ac mente perluſtrans iſtis abroget exiſtentiam. Nulla enim ratione fieri poteſt, vt Dæmonibus ex naturæ theatro exploſis quis vel probabilem rationem reddat, cur ſtatuæ interrogatæ reſpondeant; cur homines omnium literarum imperitiſſimi hebraicè, græcè, ac latinè loquatur; cur ſolis verbis morbi omnium grauiſſimi depellantur; curque permulta, quæ in hiſtorijs narrantur, ſint veritati conſentanea. Verùm vt id, quod dicimus huiuſmodi eſſe demonſtremus, exempla quædam ponemus ex hiſtorijs petita. Nicephoras Calliſtus lib. 1. hiſt. eccleſ. literis conſignauit. cùm Cæſar Auguſtus poſt Christi diem natalem ad aram Pythij Apollinis ſacrificium feciſſet, ex eoque percunctatus fuiſſet, quis in imperio Romano ſibi eſſet ſucceſſurus, & ipſo nihil reſpondente rurſus alterum ſacrificium

cele-

celebraſſet, vt cauſſam ſilentij aperiret, tunc ſic Apollinis ſtatuam reſponſum dediſſe.

Me puer Hebræus Diuos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede iubet, triſtemq́; redire ſub Orcum,
Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

His auditis Auguſtus aram in Capitolio conſecrauit, cui inſcriptum erat, ARA PRIMOGENITI DEI. Verè igitur Porphyrius fuit confeſſus in ijs, quæ aduerſus Chriſtianos conſcripſit, ex quo IESVS coli cœptus eſt, neminem mortalium publicam Deorum vtilitatem perſenſiſſe, nam poſt ſalutiferæ crucis myſteria, & CHRISTO noſtro redemptori irrogata ſupplicia nullus eorum, qui falsò Dei à gentibus nuncupabantur, generi humano impoſturas molitus eſt. Omnem ſiquidem illorum cœtum, non ſecus ac noctuarum cateruam Veritatis Sol exoriens in tenebras ire compulit. Mirum eſt, quod quidam monumentis mandarunt Sabellico lib. 1. enn. 8. referente, Cœleſtini pontificatu in inſula Creta dæmon apparuit, qui perſonam Moſis ſuſcepit, Iudæiſque illius inſulæ habitatoribus fuit pollicitus ſe illos ſicco pede in terram promiſſionis deducturum ſtantibus vtrinq; aquis in murorum ſpeciem, vt in rubro olim cùm ex Aegypto fuit populus adductus: Qua de re plures illi temere aſſenſi, ac pelagus ingreſſi marinis fluctibus obruti ſuæ ſtultæ credulitatis pœnas dederunt, præter paucos, qui ſuæ vanitatis admoniti CHRISTI religionem ſunt amplexati. Hiſce alia exempla poſſent adiungi, ſed adeo ſunt frequentia, & celebrata, vt ſi aliquis ea commemorare ſit adortus, multò plura omittat, quàm recenſeat. Nos igitur his prætermiſſis reliqua perſequamur. Cùm quatuor ſint elementa mundi, ſintq́ue terræ, aquæ, & ignis propria animalia, ratio flagitat, vt natura haud patiatur aerem terra, & aqua præſtantius elementum caſſum, deſertumq́ue eſſe à proprijs animalibus; quin immo animantes in eo quoque diuerſentur, vt in igne ſidera, in aqua piſces, in terra homines, & beſtiæ. Neque aeri volucres attribuas, quoniam peccabis, id eſt cauſſæ, quòd nulla eſt auis, quæ vltra-

mon-

mōtium vertices efferatur;quid igitur reliqua pars aeris vſq; ad Lunæ globum interiecta vacabit animalibus?Immo ſi quis volucres paulò intimiùs conſideret, illas facile intelliget in numero terreſtrium animalium eſſe habendas,quandoquidē illis terra non ſolùm dat alimentum, quo nutriuntur, & creſcunt,verùm etiam cubile elargitur,quo feſſæ poſſunt ſe colligere, atque recreare. Cæterùm ſi iſtud quoque admittatur, aues ſcilicet eſſe propria aeris animalia, dæmones tamen illi aſſignari oportere ſic iuxta Magorum, & Zoroaſtris decreta poterit perſuaderi. Elementa, quæ per purum, & impurum diuiduntur, cultores habent tum rationis compotes, tum ratione carentes,aer partes habet puras,& impuras,ergo ipſum ab hoc duplici animantium genere incoli eſt confitendum. Verùm ni ponas in aere dæmones veluti animantes ratione vtentes,nihil habebis, quo te vertere poſſis. Ex hac ratione liquet, cur nullus in cœlis datus ſit locus animantibus ratione carentibus. Enimuero tota cœlorum regio pura eſt, nullamque in ſe admiſtam habet impuritatis contagionem. Poſtremò Aegyptij,& Platonici ita dæmones confirmant: Cùm inter deos, & homines ſit maxima differentia,eſt naturę congruēs inducere dæmones, quibus tanquam vinculo res adeo diſſimiles inter ſe connectantur. Hic etenim eſt conſtans naturæ progreſſus, vt à ſupremis digrediens ordine, & per gradus conſtitutos ad infima deſcendat, ex quibus ſi quem gradum ſubtraxeris, naturam protinus reddideris diminutam. Quo modo autem dæmonum conciliatione homines Dijs coniungantur, ex his cognoſcemus. Platonici naturam omnem ad animalia rationem habentia pertinentem in tres ordines diuiſerunt,dixeruntque primum omnium,atque ſupremum à ſyderibus, quæ Deorum nomine appellantur, occupari; Dæmones proximum tenere; & infimum ab hominibus coli: Primum, & infimum inter ſe differre loco, corpore, natura,& vitæ conditione ſanxerunt; ſiquidem diuinum aſtrorum genus in altiſsimo, & puriſſimo vniuerſitatis loco ſitum corporeque vtens immortali, atque ea natura donatum,quæ

nullis

nullis aut animi, aut corporis affectionibus eſt ſubiecta, vitã degit ſuis numeris abſolutam, & nulla re penitus egentem. Contra homines abiectiſſimum, & impuriſſimum mundi locum habitantes, corpori caduco adiuncti, eamque naturam ſortiti, quæ partim animi, partim corporis moleſtiarum tempeſtate iactatur, ea vita viuunt, quæ valde eſt acerba, cuique omnia deeſſe videntur. Inter hos, & Deos ſunt Dæmones interiecti, ac medij conſtituti, nam ſi locum conſideres aerem incolunt inter cœlum, & terram collocatum; Si corpus ſpectes, iſtud quanquam per partes naſcatur, & occidat, ex toto tamen eſt capax perennitatis. Enimuero cùm hoc corpus, cui aſsident, ex aere conſtet, fieri non poteſt, quin de illius ſubſtantia aliqua fiat deceſsio; huius quicquid eſt detractum aeris finitimi attractione reſtituitur. Rurſus ſi naturam contemepleris, illam agnoſces nullis corporis affectionibus eſſe expoſitam, atq; eis affici, quæ animi propriæ dicuntur, quippe Dęmones homines vitæ ſynceritate conſpicuos habent, charos, & aliquo ſceleris genere contaminatos odio proſequuntur, quare perinde vt nos patiuntur animi perturbationes, & aliquando lætantur, aliquando dolent, modò in iram concitantur, modò miſericordia commouentur, & nunc contumelijs exaſperantur, nunc honoribus permulcentur. Denique ſi vitam, qua Dæmones perfruuntur, animo intuearis, illam percipies eſſe quidem minus ſuauem, quàm ſit ea, quæ Dijs eſt cõceſſa, tranquillam tamen, & placidam, cuius ſerenitatem, quæ in hominum vita contingunt, obnubilationes nequeunt obſcurare. Itaque cùm Dęmones inter Deos, & homines fuerint locati, atque ea natura donati, quę cum his, & illis magnam habet affinitatem, conficitur, vt ſi non ſint, ingens vniuerſi ſequatur perturbatio, ea nimirum ſublata natura, qua res in maximo diſcrimine conſtitutæ inter ſe conciliantur. Iſtud argumentum Plutarchus, Demetrius, & rhetor Æmilianus mirificè comprobarunt, illiusque vim multa prodigia, quę ſuis temporibus euenerunt, egregiè declarare tradiderunt. Eadem fermè ratio argumentandi probatur Chalcidio in explan. Timęi,

męi, & Maximo Tyrio ſerm. xxvij. qui Dęmones ita defendunt. Cùm Deus ſit immortalis, nulliusque capax perpeſſionis, & homo naturam habeat mortalem, ſimulque patibilem, oportet mediam quandam ſubſtantiam componere, quę tam diuinæ, quàm humanæ naturæ particeps ſit, eamq; & immortalem eſſe, & paſſioni obnoxiam. Etenim aliquis ſibi minimè perſuadeat duas res natura diſsimillimas poſſe inter ſe conciliari, niſi communis quidam terminus interijciatur, cuius cōcordi copulatione hæ res inter ſe diuerſæ ineant ſocietatem. Cùm igitur Dæmones naturam ſibi vendicent patibilem ſimul, & immortalem, & quatenus ſempiterni cum Deo, quatenus perpeſsionibus expoſiti cum homine iungantur, neceſſariò efficitur Dæmonum genus in naturæ conſtitutione ſuam ſibi expoſcere autoritatem. Hæc ſunt ea, quæ in Platonicorum, & veterum philoſophorum animis Dęmones excitarunt, nunc Dæmon quid ſit, & qualis indagabimus.

Dæmon quid ſit, atque in quot, & quos ordines Dæmones diſtribuantur. Caput XVII.

MAXIMVS Tyrius credidit Dæmones eſſe noſtras animas hac vita iam functas, in aliamque tranſlatas. Qua in re nonnulli eiuſdem opinionis tradiderunt laudabilium hominum animas eſſe Dæmones æthereos, improborum autem nocentes, atque eaſdē animas anno demum milleſimo terrenum corpus reſumere. His Plato non poteſt conſentire, cùm faciat in Politico tyranni animam excruciari poſt mortem à Dæmonibus, velitque opificem Deum antè Dæmones inſtituiſſe, quàm noſtras animas, atque has Dæmonum auxilio indigere. Ex quibus apparet aliam eſſe animam, alium Dæmonem. Amelius exiſtimauit Dæmones eſſe Deos, quoſdam oberrantes, quod longiſsimè abeſt à Platonis opinione, qui in Conuiuio, & legibus dæmonicam poteſtatem veluti Deorum, & hominum conciliatricem

tricem admiratur, illique hac de cauſſa multum tribuendum eſſe opinatur. Heſiodus ſenſit Dęmones eſſe animas aere veſtitas, in aere commorantes, mala expellentes, rebusque humanis conſulentes. Apuleius lib. de Deo Socratis; *Dæmones*, inquit, *ſunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo paſſiua, corpore aeria, tempore æterna*: mox adijcit ex his quinque tria primùm cõmemorata Dæmones habere eadem nobiſcũ, quartum proprium, poſtremum commune cum Dijs immortalibus, à quibus differunt animi perpeſsione. Chalcidius definit Dæmonem animal rationabile, immortale, patibile, æthereũ, diligentiam hominibus impartiens. Animal quidem, quia eſt anima vtens corpore: Rationabile, quia prudens: Immortale, quia non mutat corpus aliud ex alio, ſed eodem ſemper vtitur: Patibile, quia non eſt ſine affectus perpeſsione: Æthereum, ex loco, vel corporis qualitate cognominatum: Diligentiam verò hominibus impartiens, propter Dei voluntatem, qui cuſtodes dedit. Nos multò breuiùs hoc modo poſſumus naturam Dæmonis explicare: Dæmon eſt anima rationalis mentis particeps inter Deos, ac homines veluti conciliatrix interiecta. Hac diffinitione Heroes complectuntur, qui de ſententia Heſiodi, & Iamblichi vnà cum Dæmonibus ſunt inter Deos, & hominum animas interiecti; quanquam illud intereſt, quoniam Dæmones proximi ſunt Dijs, Heroes animabus, & in illis plus eſt diuini, in his plus humani. Cęterùm tam Dæmones, quàm Heroes communi Dæmonis nomine ſignificamus. Hactenus de natura Dæmonum, deinceps de ipſorum gradibus diſſeramus. In Dæmonum diſtributione multùm variant ſcriptores. Chaldæi duo Dæmonum genera commenti fuere, vnum bonorum, qui perpetuò iuuant; alterum malorum, qui ſemper officiunt. Inter hæc Porphyrius lib. de ſacrificijs tertium genus interiecit, eorum ſcilicet, qui ſunt hominibus iniuriam facturi, ſi ira exardeſcant, quòd deſpiciantur, & nullo cultu venerentur; contra homines ampl exuri, ſi voluerint ipſos votis, ſupplicationibus, & ſacrificijs ſibi conciliare. Aegyptij quam habuerint opinionem, autores

M contro-

controuerſantur. Iamblicus in Ægyptiorum myſterijs Dæmones diuidit in bonos,& malos. Auguſtinus Steuchus lib.8.de perenni philoſophia ſcribit Ægyptios Dæmones omnes malos eſſe definiuiſſe. Ficinus lib. 10. Theolog. plat. aſſerit hos ſenſiſſe multos dæmones ad ſuperiora animos erigere,& multos ad inferiora detorquere,omnes verò in quatuor gradus eſſe diſtributos, ſiquidem nonnulli ſunt optimi, quidam boni, alij mali, & nonnulli peſſimi: primi ſunt incolæ orientis, proximi in auſtrali plaga habitant, tertij in ſeptentrione,& poſtremi in occidente: In eadem opinione ſubiungit Origenem,Numenium,& Porphyrium extitiſſe. Ad hanc opinionem Hebræorum aſtronomi ſeſe aliquo pacto accommodarunt,qui Dæmones Martios, noxioſque in ſeptentrione locatos eſſe tradiderunt,propitios autem,& Iouios in meridie. Cæterùm ab his Plato, & probatiſsimi quique illius ſectatores diſsident, qui Dæmones vbique bonos aſſeruerunt, quoniam hi naturæ dignitate hominibus antecellunt, ſuntque Deorum miniſtri in mundi procuratione. Licuit quibuſdam Dæmones diſtribuere in ratione vtentes, & ratione carentes, hoſque dicere inferiores orbis terræ partes incolere,meritaſque illic animarum ſumere pœnas. Iſtud genus Dæmonum, quod eſt rationis expers, nonnulli immortale eſſe pronunciarunt,alij mortale,quoniam quicquid eſt perpetuũ, id omnino eſt rationis particeps. Proclus in commentarijs in Alcib. quinque Dæmonum genera numerauit; primi, & ſummi inter eos ſunt Dæmones diuini,propiuſque accedunt ad Deorum ſimilitudinem. Secundi intellectuali proprietate præditi aſcenſionibus, ac deſcenſionibus præſident, atq; omnibus nunciant,& tradunt Deorum effectiones. Tertij animarum diuinarum effectiones in ſequentia diſtribuunt. Quarti vniuerſalium naturarum vires efficaces in generabilia tranſmittunt,particularibuſque naturis vitam, ordinemque inſpirant. Quinti,& extremi corporei quodammodò ſunt,corporumque extrema deuinciunt. Quo enim pacto corpora ſempiterna conuenient cum caducis? & quo modo efficentia cũ

effecti-

effectibus, niſi eiuſmodi medio coniungantur? Natura enim huiuſmodi media bonis corporeis dominatur, omnibusque corporibus naturalibus prouidet. Plerique verò ex horum numero verſantur circa materiam, vireſque à cœleſti materia deſuper in materiam deſcendentes continent, atque contexunt, eamque ſubinde cuſtodiunt, & varietatem, picturamque formarum in hac ipſa conſeruant. Pſellus ſex facit genera Dæmonum, primum igneum, quod per ſuperiorem aeris regionem diuagatur; Secundum aereum, quod in aere nobis propinquo oberrat; Tertium terrenum; Quartum aquatile; Quintum ſubterraneum; Sextum Lucifugum, & imperſcrutabile: ſentitque nullum Dæmonem ſua natura marem eſſe, vel fœminam, tametſi multis videatur, & plerique exiſtiment dæmones habere genitalia, ſemen effundere, & concubitus appetere, atque peragere. Enimuero hæc interſtitia, & ſexuum diſſernicula ad compoſita pertinent: Dæmonum verò corpora ſimplicia ſunt, ductu, flexuq; facilia, & ad omnem configurationem naturaliter apta: Sicut enim videmus nubes nunc hominum, nunc brutorum, aliarumúe rerum figuram præſeferre, eodem modo dæmonum corpora, vt collibuerit, in varias ſpecies conuertuntur; quanquam illud intereſt, quòd nubes externis ventis agitatæ figuris varijs afficiuntur, dæmones autem proprio conſilio in ſe variant corporum formas, & in id nullo negotio deformantur, quod imaginatio conceperit. Cæterùm animaduertit vnumquodque dęmonũ genus nequaquam poſſe iſtud perficere, nam igneis, & aerijs facilè ſuppetit facultas in quamcunque ſpeciem, quam elegerint, ſeipſos conformandi: contrà genus poſtremum, & ſubterraneum neſciunt huiuſmodi corporum diuerſitatẽ, vtpote quæ prædita ſint corpore ad motum inagili, & ad flexum parùm accommodato: Aquei, & terreſtres in horum meditullio conſtituti poſſunt quidem multas formas accipere, ſed quibus maximè delectantur, in eis diutius immorantur. Quapropter quicunque in aquis viuunt, & mollioris, delicatioriſque vitæ curſum tenent, auibus, ac mulieribus ſe ſimiles,

naturæ lege diſſolubiles diuina voluntate ad ſempiternam mundi curationem immortales cõſeruari, quia maior eſt vis diuinæ voluntatis,quàm legis naturæ, cui ſunt obnoxij; ordi nis autem inferioris longæuos tantùm, & certis temporum curriculis interire,eorumq́ue vitę nonies mille ſeptingentos viginti annos tribuendos eſſe. His Plutarchus videtur aſſentiri, qui lib. de oracul. defectu literis exarauit magnum Dæmonem,cui nomen erat Pan, tempore Tiberij Cæſaris vitam cum morte commutaſſe, idque vocis indicio ex mare exeuntis iuxta inſulas; quas Echinadas nominant, nuntiatum fuiſſe Thamo nautæ in Italiam nauiganti, ſimulq́ue mandatum, vt cùm primùm ad Palodes perueniſſet, nuntiaret magnum Pan interijſſe; quod cùm ille fuiſſet exequutus, ingentem continuò factum eſſe gemitum cum admiratione in aere, & aquis permiſtum. Idem narrauit cùm Demetrius iuſſu imperatoris ad quaſdam inſulas circa Britaniam, quæ Dæmonum, & Heroum dicebantur, fuiſſet profectus; ſtatim poſt illius aduentum magnam in aere confuſionem extitiſſe,& portenta multa,ventoſq́ue in procellas erupiſſe, & ignitos vortices in terram delatos fuiſſe: Sub horum finem inſulares dixiſse aliquem Dæmonem è vita deceſſiſse.

Quæ Dæmonum ſint munera. Cap. XVIII.

DÆMONVM multa ſunt munera, nam iſti Deorũ miniſtri,& ad Deorũ diuiſionem pariter diſtributi (ſingulæ enim ſphæratũ animę alicui Dęmonũ ordini imperant, cui proximè ſuam impartiunt poteſtatem) rebus diuinis obſequium nauant, & humanis prudenter opitulantur, ac veluti inter mortales, & cœlicolas vectores hinc hominum petitiones Dijs interpretantur, ac nunciant, & illinc ſuppetias diuinas ad homines traducunt, & quæ in Dijs ſunt occulta,& ineffabilia,exprimunt,atque patefaciunt. Ex his patere poteſt, cur Platonici dixerint naturã

Dæmonum non eſse abſque corpore. Cùm enim animaduerterent Dæmones in Deorum mandatis exequendis, & ſuis muneribus obeundis huc,& illuc moueti,& in varias mundi regiones excurrere, atque arbitrarentur huiuſmodi profe-ctiones, & tam varios acceſſus, & receſſus non ſine corporibus perfici poſſe,ſenſerunt Dęmones habere corpora,quibus mouerentur,gradum ſiſterent,& diuerſa loca mutarent. Hæc corpora ex aere compoſuerunt, quòd Dæmones, vt ad inferiora delabantur,& ad ſuperiora efferantur,corpora expoſtulant aerea,quæ ſunt grauitatis,& leuitatis participatione modificata. Atque hæc de corporibus Dæmonum, redeamuş ad ipſorum officia,& munera. Per hos Plato in Sympoſio autumat cuncta regi denunciata, varia naturæ miracula fieri, omneſque ſpecies præſagiorum oraculorum, & afflatuum expleri. Hinc Porphyrius afflationem diuinam definiuit motionē mentis vnà cum inſpiratione Dæmonica,cenſuitq; hanç multis,varijſq; modis perfici, quod tribus oraculis è multis commemoratis vno Colophonio,altero Delphico,tertio Branchidico cōfirmauit. Erat in Colophone fons ſubterraneus,cuius aqua deguſtata, & peractis omnibus ſacrorum ritibus ad hoc pertinentibus ſacerdos ad Dæmonē capiendum præparabatur,& Dæmone correptus dabat vaticinia. Pythia in Delphis duobus modis Dæmonem ſuſcipiebat,vel per ſpiritum quendam tenuē, & igneum ex ore antri erumpentem,vel ſedēs in tripode, qui Deo erat conſecratus. De qua re Strabo lib. 9. Geographię ita ſcribit: *Auctores certi memorant diuinū ipſum domicilium profundam, & curuam eſſe ſpeluncam non admodum lato patentem ore, atque hinc auram reddi ſacro efflante numine. Excelſum autem hoſtio imminere tripodem, quem ſimul atque Pythia vates inſcenderit hauſto diuinitatis ſpiritu reſponſa edit partim metro, partim oratione libera.* Fœmina in Brancis fatidica quatuor modis Dæmonē nanciſcebatur, nam vel ſedebat in axe, vel manu tenebat virgam Dei munere conceſſam, vel pedes, aut limbum in aquam immittebat,aut denique ex aqua vaporem hauriebat; his omnibus modis ad Dæmonem extrinſecùs ex-

cùs excipiendum reddebatur idonea. Nec verò credendum
eſt illis, qui cauſſas afflatus in res naturales conantur reuoca-
re, quorum cùm variæ, multæque ſint opiniones, duæ tamen
omniũ maximè celebrantur. Prima cauſſam afflatus refert in
humorẽ melancholicũ, quo qui abũdãt, in ipſis ea pars animi,
qua imaginamur, corporis alterationibus vehementer cõmo
uetur, eiuſq; mutationes ſummopere imitatur; quod manife
ſtũ faciunt frequẽtia viſa, & ſomnia, quę iſtis varia, & multipli
cia offeruntur. In hanc ſententiã iuit Ariſt. 1. probl. ſect. 30. *In
quibus,* inquit, *multa, & frigida bilis eſt atra: hi ſtolidi ſunt, & igna
ui. In quibus permulta, & calida, ij perciti, & ingenioſi, amaſii, pro-
penſi ad omnẽ excandeſcentiã, & cupiditatem; nonnulli etiã loqua-
ciores. Multi etiam propterea quòd ille calor ſedi mentis in vicino
eſt, morbis veſaniæ implicantur, aut inſtinctu lymphatico inferue-
ſcunt: ex quo Sibyllæ efficiuntur, &* Bacchæ, *& omnes, qui diuino
ſpiraculo inſtigari creduntur, cùm ſcilicet id non morbo, ſed naturali
intemperie accidit. Maracus ciuis Syracuſanus poeta etiam præſtan
tior erat dũ mente alienaretur. At quibus minus ille calor remiſſus
ad mediocritatẽ ſit, ij prorſus melancholici quidẽ, ſed longè pruden-
tiores.* Secundę opinionis autoribus libitũ fuit eandẽ cauſſam
conijcere in halitus, & vapores è terra exhalantes, qui in cor-
pus admiſſi temperiẽ in animis ingenerant inſolentem, atq;
vim præſtant ad futura præſentienda. Huius rei illud afferunt
argumentum, quòd ijs in locis, in quibus oracula petebãtur,
è terra exhalatio efferebatur, qua ſacerdos oraculo præpoſita
correpta, & in furorem acta futuros rerum euentus prædice-
bat. Neque alicui videatur incredibile terram fundere vapo-
rem, qui animis enthuſiaſmum, & futurorum præſenſionem
inferat, quandoquidem memoriæ proditum eſt in terris mul
ta fieri, & manare, quæ cuiuis poſſunt magnam mouere admi
rationem. Huius opinionis meminit Plutarchus lib. de def.
oracul. & Ariſtoteles videtur illi calculum ſuum adieciſſe lib.
de mundo ad Alexandrum cap. 4. vbi hæc habet: *Multis in lo-
cis orbis exitus ſpirituum pari ratione patefacti ſunt, qui partim fa-
natico furore afficiunt homines propiùs accedentes; partim tabifica*

ui abſu-

rũ diſcernitur μανικὴν, q.m̃ ſoli diuino furore correpti verè vaticinantur; poſteriores aũt interiecta τ litera illud nuncuparunt μαντίαν, & hanc μαντικὴν. Sed ad id, quod nobis eſt propoſitũ,accedamus.Dęmonibus artẽ magicã veteres attribuerunt,quippe qui in cognitione rerũ naturalium hominibus longè ſuperiores probè tenent, qualis ſit rerũ mortaliũ ſocietas, quid cuiq; conueniat,quo diuerſæ res in concordiã redigantur;atq; per has naturæ vires quę hominibus ſunt inexploratę multa poſsũt,multaq;efficiũt,quę hominũ profectò ſuperant cognitionẽ,naturæ tñ poteſtati ſubijciuntur.Quamobrẽ quicunq; Dæmonibus fuerunt vel naturæ familiaritate coniũcti,vt Zoroaſtres,vel veneratione dilecti,vt Apollonius Tyaneus , ſummi magi euaſerunt,hiſq; ingẽs eſt nominis gloria parta apud mortales ob multa ab illis edita ſuis temporibus magicæ artis opera , in quibus Hierocles Apollonium Christo Dei filio æquare auſus eſt, cuius impia opinio lib. vno ab Euſebio fuit belliſſimè refutata . Amplius dæmones admirabilis prudentiæ participes,& acuto ingenio,ac tenaci memoria prędíti in particulari mundi prouidentia ſeſe exercent,quorum alij latiſſimas terrarum regiones moderantur , nonnulli ciuitatibus ſunt præpoſiti, & quidam homines tantùm amplexantur,qui Genii appellantur . Indiget quippe natura generis humani nimiùm imbecilla ſuffragio melioris, præſtantioriſque naturæ . Quam ob cauſſam creator omniũ, & conſeruator Deus volens eſſe hominum genus his pręfecit dæmones , quorum auſpiciis in terrum hoc corpus deiicerẽtur,atque in hoc vitæ munere obeundo dirigerentur,quique proinde in rebus dubiis eſſent pręmonitores,mala auerterẽt, bona proſperarent , nutantia fulcirent , obſcura declararent, rationem perficerent , perturbationes temperarent , fortuita ſubminiſtrarent,fatalia complerent, & aduerſa ſidera corrigerent . Hos dæmones, quos appello proprios cuſtodes, ſingulareſque præfectos aiunt Academici eſſe actionum omnium inſpectores,& cunctarum cogitationum exploratores, ipſoſque huius corporis fracto carcere animabus aſſiſtentes eas ad

iudicem deducere ſingula ſuo vel approbantes, vel diluentes teſtimonio. Eoſdem inquit Plato in Epinom. tum ſomnijs, & vaticinijs, tum voce vel à ſanis, & corpore vegetis, vel ab ęgrotantibus, ac valetudinarijs edita nos multùm adiuuare, & in ipſo è vita exceſſu nobis ſeſe offerre, atque noſtros animos pulſare. Atque hinc fit, vt ſæpe quidam è vita migraturi aliquid diuini prçſeferant, quod Socrati contigiſſe memoratur, qui morti propinquus Anyto (Xenophonte atteſtante) prædixit vitam filij, qui tunc modeſtus erat, fore flagitioſam. Idem à falſis accuſatoribus in iudicium tractus iudicum futuram pœnitentiam, accuſatorum ruinam, & ciuitatis ſeditionem præſagiuit. Scripſit Poſſidonius Stoicus Rhodium quendam morientem ſex æquales nominaſſe, & qui primus eorum, qui ſecundus, qui deinceps vitam eſſet cum morte commutaturus diuinaſſe. Phærecides Syrus moriens victoriam aduerſus Magneſios fuit vaticinatus. Hæc, & alia huiuſce generis quamplura Platonici rentur dæmones illis hominibus, quibus ſunt addicti, ſignificare, quæ mox iſti prænunciantes in animo aliquod præſagiens, & diuinum habere creduntur. Cæterùm plures dæmones nequaquam adſunt vnicuique alij alias cuſtodientes corporis, & animæ partes, ac habitudines, quod Porphyrio fuit probatum ſtatuenti in ipſo corpore diuerſos dæmones reperiri, quorum alius ſanitatem, alius pulchritudinem, & alius aliam in hoc habitudinē curet; ac pręterea aſſerenti alium Dæmonem regere corpus, alium animam, & alium mentem, ſed vnus tantummodò præſidet totū ducens, & toti vbique aſſiſtens; quandoquidem, vt inquit Iamblichus, abſurdum eſt animal eſſe vnum, & Dæmonem huius præfectum multiformem exiſtimare. Neque adeo laborioſa eſt totius hominis Dæmonica adminiſtratio, vt ad eum gubernandum ſint plures Dæmones accerſendi. Eundē præterea falſitatis nomine damnamus, quoniam quandoque putauit cuiuſque mentem particularem eſſe Dæmonem præſidentem, eumque hominem eſſe ἐυδαίμονα, id eſt felicem, qui habeat mentem ſapientia præditam. In qua quidem re

conſen-

conſentit cum Timarcho Chęronenſi, qui apud Plutarchum lib. de Socratis Genio id vocat Genium, quod ab interitu immune eſt, & plerique mentem appellant. Hic, & ille multùm fallitur, quoniam Genius, & noſtra mens habent inter ſe magnam diſſimilitudinem, hæc enim eſt pars ſuprema animę noſtræ, ille verò iuſſu ſummi Opificis nobis eſt addictus, per quē rectè regamur in ijs vitæ functionibus, quam ſumus acturi. Permulta alia poſſem de Dæmonibus afferre, ſed de ſingulis dicere huius non eſt loci, neque diſputationis.

Mens omnia moderatur, vniuerſumq; non conſilio, ſed ſua prorſus natura condidit atque adminiſtrat. Cap. XIX.

LONGIVS fortaſſe, quàm res propoſita exigeret, in his diſquiſitionibus ſumus progreſſi, ſed parcant, quicunque legerint, his diſgreſſionibus, in quibus non omnino ab re fore exiſtimauimus, ſi quæ diſpersè hinc inde apud Platonem, & Platonis ſectatores reperiuntur, in vnum, & ex ordine colligeremus, atque ob oculos legenda proponeremus. Nunc ad inſtitutum reuertamur. Quamuis Platonici primam, ac generalem prouidentiam tribus ſupremis principijs accommodauerint, in his tamen adminiſtrandis noluerunt parem eſſe horum principiorum conditionem, ſed aſſeruerunt Deum ab omni proxima rerum adminiſtratione vacare. & per Mentem cuncta gubernare; hanc in mundi curatione proximè verſari; & ad Animam mundi potiùs fatum, quàm prouidentiam (vt ſuo declarabitur loco) pertinere. Mentem huius mundi curationi potiſſimum eſſe præpoſitam ſentit Plato in Philebo, Phedone, alijſque locis permultis, in quibus tribuit Menti principatum, creationem rerum omnium, imperiumque cœli, & terræ. Ex quo eandem vocat procreatricem, imperatricem, omniumque reginam ſapientiam: Et in Cratyllo aſſerit Men

tem,quam induxit Anaxagoras, eſſe iuſtitiã,& per omnia cõmeãtẽ omnia procreare. Iſtud prętereа & cõfirmatur ab ideis in ipſa Mẽte poſitis, in quibus à Platonicis præcipuè ponitur rõ prouidẽdi; & ex eo perſpicuè depræhẽdi põt, ꝙ illius propriè exiſtit prouidẽtia,qđ eſt tãti operis fabricator,cuinſq; cognitio eſt abſolutiſſima,& intelligẽtia perfectiſſima. Huic ſentẽtiæ Numenius Pythagoricꝰ manifeſtè adhęret,qui in lib.de Bono.*Primũ*,inquit,*Deũ regem omniũ ab omni opere ceſſare oportet: Creatorem verò Deum omnia gubernare dicimus,à quo interior mens mittitur ad omnia, quæ ad illius communicationem ſunt ordinata*. Et paulò poſt: *Quemadmodum agricolæ ratio quædam eſt ad plantas relata, hoc modo ſe habet primus Deus ad Creatorem: Primus enim cùm ſemen omnis vitæ ſit,res omnes ſeminat; Creator verò plantat, & diſtribuit, transfertq́, ad ſingulos ſuos, quæ inde iacta ſunt*. Et progreſſus aliquantulum: *Gubernator*,inquit, *cùm in pelago feratur, clauo inhærẽs dirigit nauem, oculi verò eius, & mens in altum ad æthera tendunt, ſic via nauiganti per maria per cœlum dirigitur: Non alio modò Creator, ne materia repellatur, aut diffluat,harmonicè ipſam ligauit,& tanquã in naui,in ipſa inſidet,& harmonicè dirigit per ideas,quaſi per clauum gubernans, reſpicitq́, non in cœlum, ſed in Deum ſuperiorem, quem ſpeculando diſcernendi vim accipit,quem deſiderãdo motionem accipit.* Eandem ſententiam ſequitur Philo, à quo lib.de agricultura hæc prodita ſunt: *Sicut quendam gregem terram,aquam,aerem,ignem,& quicquid in his continetur vel ſtirpium, vel animalium mortalium, diuinorumq́; adhæc cœli naturam,Solis,ac Lunæ circuitus, reuolutiones cæterorum ſiderum, choreasq́, cõcinniſſimas tanquam paſtor, ac rex Deus regit iure; legeq́, præfecto his Verbo primogenito filio, quòd curam ſacri huius gregis tanquam magnus prorex in ſe, recipiat.* Idem lib.de plant.Noe. *Siquis*, ait, *pudorem huius difficultatis non explicatæ velit effugere audacter dicat nulla re materiata machinam mundi conſeruari, ſed Verbo æterni Dei ſempiterno, quod à medijs ad extrema, & ab extremis ad media ſe extendens decurrit per longum naturæ ſtadium curſu inuictiſſimo in vnum con ducens partes eius omnes, conſtringensq́. Hoc enim pater, qui genuit*.

nuit ipſum, quaſi vinculum quoddam conſtituit non rumpendum in perpetuum. Meritò igitur neque tota terra ab aquis diluitur, neque ab aere ignis extinguitur, nec contrà aer ab igne inflammatur Dei verbo ſe interponente. Nec verò illi ſunt approbandi, qui perverſè ſenſerunt Mentem nequaquam habere omnium procurationem, nam ſi omnium mundanarum Mens non eſſet curatrix, ſed quædam in illius caderent prouidentiam, quædam minimè, vtrum ne maioribus proſpiceret minoribus poſthabitis? an contrà illis neglectis in his curandis omne ſuum ſtudium, & operam collocaret? Si ſecundum aſſeris, quàm egregia, & compoſita erit hæc ratio prouidendi? nam quod propinquiùs accedit ad Mentis ſimilitudinem, vt bonorum ob ea defluentium magis ſit particeps, rationi conſentaneum videtur. Si primum, Mentem facis imbecillam, quippe quę maiora cuſtodiens non habeat ſatis virium in minoribus protegendis; aut certè negligentem, pigritiaque, & mollitie detentam. Verumenimuero cùm nihil Mentem effugiat, ipſaque poſsit omnia, ac ſumma bonitate ſit prædita, fieri non poteſt, vt propter pigritiam, aut ignauiam deſerat mundi adminiſtrationem. Deinde ſi ad minima vſque nequit Mentis prouidentia permanare, ecquid eſt, cur maiorum compos minimum ſit inops? aut quo pacto minorum ſubſtantiam procreãs non eorundem etiam perfectioni dominatur? aut denique quomodò illi difficilis eſt rei minimæ gubernatio, cui facilis fuit totius vniuerſitatis procreatio? Neque illud defendatur Mentem parua non curare, quia ſcit illa eſſe contemnenda, nam cùm à Mente omnia ſint facta, & poſsideantur, ſua ipſi poſſeſsio nequaquam eſt negligenda, quę eſt optima, & prouidentiſsima. Rurſus faciliùs parua, quàm magna gubernãtur; & opifices quantò ipſi peritiores ſunt, tantò exactiùs, perfectiusque vna, eademque arte tum magna, tum puſilla conficiunt. Ergo Mens, quæ ſapientiſsima eſt, & vult, & poteſt omnia curare, non ſolùm magnis prouidebit; verùm etiã quæ ſunt exigua, & faciliùs curari poſſunt, adminiſtrabit. His adde, quòd nullo pacto eſt rationi conſonum à Mente ignorari

ſua

ſua opera,& quæ ab ipſa quoquo modo efficiuntur. Enimuero Mens diſtinctè,& perfectè ſeipſam intelligit, & cognoſcit ſe mundi,& omnium,quæ ſunt in mundo, effectricem; atqui cauſſa effectrix ad effectum cùm ex relatione dicatur,neceſſariò conficitur ipſam diſtinctè, ac perfectè cognoſcere quæcunque ipſius ſunt opera,& effectus. Ergo quia cognitio, ac prouidentia ſeſe mutuò complectuntur, Mens, quæ res vniuerſas optimè perſpectas habet, in res ſingulas ſuam accommodabit procurationem. Rectè igitur Zeno Stoicorum princeps dixiſſe videtur; Deorum mente, atque ratione vniuerſam mundi machinam adminiſtrari,neque verò id ſolùm,ſed etiam ab iiſdem vitæ omnium animantium conſuli, rebuſq; omnibus,vel etiam minimis prouideri. Nec prætera illud admitti poteſt; quod quidam prodiderunt, Mentis ſcilicet prouidentiam non eſſe ſingulorum, niſi vt ad communem naturam reuocantur.Etenim ſi Mens intelligendo cuncta facit, & efficiendo omnia intelligit, neceſſariũ eſt, vt ab illius prouidentia ea omnia complectantur, quæ ab ipſius intelligentia attinguntur. Intelligit autem non ſolùm quæ omnibus communiſſima,ſed etiam quæ vnicuique peculiariter ſunt dicata,& quibus vnumquodque abſoluitur, ac perficitur, alioquin confusè intelligeret,nec optimam poſſideret intelligentiam; ergo eminentiſſima,ampliſſimaque ſimul eſt illius prouidentia, & ſeſe exercet in ſingulis etiam indiuiduis gubernandis. Hæc omnia expreſſit Orpheus inquiens in hymno ad Apollinem.

. . . . Sunt Tibi totius confinia mundi,
Eſt curæ Tibi rerum finis, principiumq;,
Tu cithara totum dulci moderaris Olympum,
Per te cuncta virent . . . .

Et alibi.

Cuncta vides,& cunctà audis, & cuncta gubernas.

Cùm dicimus Mentem omnia efficere,& mundum condere,id ita intelligimus, non quia Mens ipſum, quaſi tempore præceſſerit, nam mundus iuxta Platonis dogmata Crantore,

Plotino, Porphyrio, Iamblicho, Proclo, & pleriſque alijs interpretantibus nullo ortu eſt generatus ſeculis omnibus immortalis, ſed quoniam hic eſt à Mente, priorq; natura Mens eſt, quàm mundus, quippe quæ cauſſa mundi exiſtit veluti efficiens, forma, & exemplar; mundi inquam huius, velut imaginis per exemplar illud exiſtentis, eodemque modo inde perpetuò ſubſiſtentis. Hic autem cœlorum, ac terrarum orbis conditus eſt ab omni æternitate non ratiocinatione quadam concludente faciendum eſſe, ſed neceſſitate quadam cogente, vt hic ſenſilis mundus primum imitaretur. Etenim cùm mundus intellectualis nequaquam illius eſſet conditionis, vt poſſet rerum extremum eſſe, quia primum erat, maximè verus, penitùs impartibilis, totus vita, totus mens, in vno viuens, ſimulque intelligens, atq; ea lege procreatus, vt iſtius eſſet exemplar, & fabricator; ac præterea ampliſſimam haberet poteſtatem ad ſenſilem mundum producendum, neceſſe fuit ipſum aliquid ſui in materiam infundere, ac immobilē, quietumúe cōſiſtentem ad ſui ſimilitudinem vniuerſum hoc corporeum conſtruere. Illud autem condidit non conſilio, & quo modo, quaúe ratione eſſet ædificandum ratiocinando, & deliberando, ſed vno ſtatim intelligentiæ actu, virtutiſque momento; conſilium namque eſt prudentiæ defectus, pertinetque ad eos ſolùm, quos tempus metitur; itaq; Mens, quæ eſt prudentiſſima, & tempori minimè ſubiecta, nulla indiget conſultatione, neque in ſuis functionibus perficiendis meditando, atque deliberando ex aliquo in aliud proficiſcitur. Amplius quæ agunt per ſolam eſſentiam, antegreſſa deliberatione non indigent, quia neque errare poſſunt, neque de eo, quod agendo ſequendum eſt, aut fugiendum, dubitare, ergo quia in his agentibus Mens in primis debet numerari, planum eſt prægredientem meditationem nō eſſe illi neceſſariam. Iſtud à Porphyrio in Timęi commētarijs fuit patefactum, in quibus hæc habentur: *Artes inſtrumentis indigent, quoniam nec omni materiæ præſunt, nec dominantur omnino, & extra laborant: Potentiæ verò naturales, quoniam & perfectiores*

ſunt

ſunt, & intimæ, ipſo tantùm ſuo eſſe agunt, quicquid agunt: Sic & anima vita propria eſſentiali nutrit, auget, generat, ſpirat, ſentit, & reliqua exercet munera, quæ ipſi ſunt tributa: Ipſa quoque imaginatio præpotens ſolo quodam ſui actu varijs motibus ſtatim afficit corpus, & diuerſas inducit qualitates: Quinetiam, vt tradunt Theologi, Dæmones imaginationibus ſuis abſque alio inſtrumento, vel actu paſſim mirabilia faciunt ſubitò, & vt fert eorum voluntas, efficaciſſimos radios inde emittentes, ac ſæpe motibus imaginationis ſuæ formas mirabiles oſtendentes eis, qui talia inſpicere valeant. Multò magis opifex mundi ipſo eſſe, id eſt ipſo intelligere ſubſtantiam exhibet vniuerſo. Mens enim diuina nullo indiget, ſed in natura propria permanens omnia producit, & mouet; & cùm ſit incorporea, & indiuidua mundum fabricat corporeum, & planè diuiduum. Quid enim mirum? ſiquidem ex minimo ſæpe ſemine vaſtum animal pullulat ex tot, tantisq; diuerſis inter ſe membris coagmentatũ. Hæc Porphyrius, quibus ea poſſunt adiungi, quæ de Deo, & Intellectu in hanc ſententiam differuntur lib. 5. cap. 2. de diuina ſecundum Ægyptios philoſophia: *At Deum, inquit autor, per conſultationem agere non dicimus, alioqui eo prius aliquid eſſet. Quoniam meditando, atque deliberando ex aliquo priore proficiſcimur; Cùm tamen Deo nihil prius ſit, ſed hic primus omniũ; quemadmodum neque eodem quicquam poſterius. Porrò cogitatio ex principijs ad concluſiones perficitur, principiaq; per ſenſum cognoſci poſſunt. At Intellectus nihil eorum, quæ ſentiri poſſunt, per ſenſum cognoſcit: Quia ab intelligibilibus incipiens in eadem deſinit. Ex quibus manifeſtum eſt hunc meditando, atque deliberando ad ea non deſcendere, quæ in ſenſum cadunt. Itaque multò minus primus rerum omnium opifex meditatione, deliberationeq; indiget ad regenda animalia, aut eorum quicquam, quæ mundo tam ſuperiore, quàm inferiore continentur. Res autem conſultò, cogitatoq; ita fieri dicuntur, quòd cùm omnia in ſapientia Entis primi procreata ſint, eademq; diſtincta ſecundum rationem propriam, & quæ cum altera ſpecie cõicari nullo modo poteſt, non alius vllus ſapiens quantumuis diligentiam ad deliberandum adhibeat, res alias illis ſimiliter, pariterq; perfectas poſſit abſoluere. Cogitatio verò ad ea, quæ nondum ſunt, abſoluenda adinmentum*

mentum affert, cùm quis prius conſultat, quàm agere incipiat. Quare in illa eum, qui conſultat, prius noſſe oportet quid agendum ſit: & ſi quid ea ratione effectum fuerit, ei, quod antea cogitatione erat cõprehenſum, diſſimile non apparebit. At cùm aliquid ab alio efficitur, ei, quod per ſolam eſſentiam agit, non eſt præcognoſcendum, quale ſit id, quod efficiendum eſt: Quoniam tale tantum efficit, quale eſſe decet: atque idcirco ad agendum alio adiuuante non indiget, nec antegreſſa cogitatione. Ex his patere poteſt Mentem neque argumentando, neque aliquibus inſtrumentis vtendo mundum condidiſſe, neque præterea ex quadam rationis diſcurſione illi prouidere, & ſingula in ipſo diſponere, ſed ſua prorſus natura, & eſſentia, quo pacto dicimus Solem non conſulendo, ſed ſua vi, & natura illuminare id, ad quod poteſt ipſius lumen pertinere. Nominatur tamen aliquãdo rationale quoddam in Mente conſilium, quoniam cuncta ſic ab illa conſtituuntur, & ſunt conſtituta, ac ſapiens aliquis faceret conſilio, & argumentatione.

Quomodò hic mundus à Mente adeo diſſimilis ex ipſa Mente potuerit emanare. *Caput XX.*

NEQVE alicui illud moueat admirationem, quomodò ex Mente, in qua omnia ſibi ſunt amica ſimulq́ue coniuncta, nihil ſibi, aut alteri contrarium; neque aliquid ſolitarium, vel à cæteris deſtitutum, potuerit hic mundus emanare, in quo alia alijs aduerſantur à ſe mutuò ſeparata, & cùm res nullæ ſibi ſufficiant, alijs bellum inferunt, ex quibus ſeruantur. Nam quemadmodum in ratione ſemini inſerta ſimul omnia, in eodemq́ue ſunt, nihilq́ue cum alio pugnat, aut diſsidet, aut impedit; & in animali, quod in lucem ab ipſa euocatur, alibi eſt pars alia, atque alia impeditur, læditurq́ue ab alia, ſic vtique ex Mente

ſimplici, & ratione ab ea in materiam defluente potuit vniuerſum pullulare, quanquam in eo alia ſint amica inter ſe, atque ſalutaria, alia inimica, & pernitioſa: & partim volentia, partim nolentia viciſsim ſe diſperdant, ipſaque pugna mutuã ſibi afferãt generationem, & corruptionem. Nec Menti iſtud vitio vertatur, quoniam hæ rerum naturę inter ſe diſsidentes in mundo ſunt neceſſariæ, quòd mutua earum contentione quæcunque mortali conditione ſunt generata, immortalitatem conſequuntur. Deinde cùm quæ in primo rerum opifice ſumma eſt concordia, ſummaque plenitudo in naturis inferioribus multùm degeneret, atq; hæ quò magis à primo principio dimouentur, eò ſorte deteriori afficiantur, patet hunc mundum ex his partibus neceſſariò coaleſcere, quæ graues inter ſe gerunt inimicitias, ſiquidem cùm multùm abſit à ſupremi opificis perfectione, partes plurimas in ſe coercet, quę quod ſatis eſt non habentes cum alijs pugnant, vt quod deeſt, aliunde vendicent. Interim verò aduerſus tantam diſſenſionem prouidẽtia ſingulis ad ſeipſa, & ad vniuerſum magnum amorem inſeruit, quo illa ſe inuicem arctè complectentia ad ſalutem totius mundi concordiſsimè conſpirant. Amplius Mens non potuit vniuerſum condere, quod ſui eſſet aut ſimile penitùs, aut diſsimile. Simile non poterat, quia quod efficitur, patitur; & quod patitur, à pręſtantiore patitur. Diſsimile non potuit, quoniam quicquid agit, ad ſui ſimilitudinem agit. Igitur factus eſt mundus aliquo modo ſimilis, alio diſsimilis. Et cùm illa ſit vnica, vniuerſum eſt vnum, & non vnum, Cùm omnia in ſe coerceat, mundus continet omnia, & non omnia. Cùm immobili æternitate contineatur, mundus eſt æternus, & non æternus. Etenim quia vnus eſt nititur maximè ad immortalitatem, ſiquidem non habet ſocium, aut contrarium, à quo deſtruatur; quia non vnus, quodam modo fit compos mortalitatis: Ex contrarijs enim partibus, ac mutua corruptione inter ſe graſſantibus eſt coagmentatus. Eius igitur æternitas in ſucceſsione conſiſtit, vnitas in cõtinuatione. Qm̃ verò æternus, rebus oĩbus exornatur; quia non æternus

non,

non omnibus rebus ſimul eſt expletus. Demum Mens architectrix totum mundum, vt illius ferebat natura, fecit pulchrũ, ſufficiẽtem, ſibimet amicum, & partibus ſuis tum maioribus, tum minoribus æquè conuenientem. Quòd ſi aliquis monente Plotino lib. 1. de prouidentia mentis aures ad hunc voluerit conuertere, forſitan audiet ita loquentem. *Me proculdubio fecit Deus, atque ego inde factus ſum perfectus, ex cunctis animalibus conſtitutus, mihi ipſi ſufficiens, mihi penitus ſatisfaciens, nullius indigus. Quoniam omnia in me ſunt animalia, ſimul atque plantæ, cunctorum natura generabilium, Dij quamplurimi, Dæmonum populi bonorum, exercitus animorum, homines virtute felices. Neque enim terra ſola ornata quidem eſt plantis omnibus, & omnigenis animantibus, neque tantùm vſque ad mare poteſtas animæ ſe diffundit, aer autem totus, & æther, totumq́; cælum anima, vitaq́; caret, verùm animæ illis quoque ſunt omnes bonæ, vitam ſtellis ſuppeditantes, reuolutioniq́; cæleſti ordinatiſſimæ, ſimulq́; ſempiternæ, & ad imitationem Mentis in circuitum agitatæ ſapienter circa idem ſemper, nihil enim quærit extrinſecùs. Præterea quæcunque in me ſunt, appetunt quidem omnia bonum, ſingula verò pro facultate propria conſequuntur, dependet enim totum ab illo cælũ, tota quinetiam anima, amplius Dij, qui in partibus meis regnant, item animalia omnia, ſimul & plantæ, denique ſi quid etiam eſſe in me videtur inanimatum. Tum verò alia quidem eſſendi tantùm participia videntur, alia verò viuendi, alia ſentiendi, alia iam rationem habent, alia totam denique vitam: non enim æqualia paſſim in rebus non æqualibus requirere decet, neque vt digitus videat exigendum, ſed oculo id eſt aſſignandum, digito autem aliud quiddam deſiderandum; id autem eſt, vt ſit digitus, propriumq́; officium peragat.* Hæc fingit Plotinus mundum de ſeipſo glorioſè prædicare. Cæterùm cuncta, quæ à mundo amplectuntur, Mentis imperio ſubijciuntur, illaque adeo rectè, atque ordine ſingula diſponit, vt ſi quis perfectiſſimè valeat ratione diſcurrere, vehementer obſtupeat. Nec quiſquam perturbetur, quòd in mundo non ſit eadem rerum omnium cõditio, & diſpares formarum gradus conſpiciantur, nam hoc illius perfectioni, & pulchritu-

dini plurimùm conducit,atque ob inæqualitatem,& diſsimilitudinem inſatiabilem hic admirabilis rerum omniũ decor ſpectatur,& maximè commendatur. Pręterea,vt ſcriptum eſt lib. 14. ſecretionis ſecundum Ægyptios philoſophiæ cap. 9. quoniam non erat rationi conſentaneum, vt quod procreatum eſt,vnum eſſet omnino, ſuoq; autori omni ex parte ęquale,vnum eſſe oportuit ex pluribus compoſitum: Ex pluribus autem ſimilibus componi non potuit, alioquin de his vno ſufficiente alterum fuiſſet ocioſum: Itaque ex diſsimilibus procreatum hoc oportuit ſingulis eorum ſeorſum exiſtentibus ſecundum formas proprias. Qui igitur Mentem vituperat,quid agat,& quò temeraria arrogantia eum deducat, non ſatis habet perſpectum. Hoc errore plerique cæcantur, quòd eos craſsis inſcitiæ tenebris circunfuſos latet,quæ,qualiſque ſit pulcherrima mundi conſtitutio. Atque iſti haud abſimiles videntur illis, qui picturæ, muſicæque ignari fidicines, & pictores accuſant,quòd non eundem ſonum chordę omnes remittant, atque non vnus tantùm color in vſum veniat, cùm tamen pictores ſuas imagines variè excolentes congruos colores ſingulis locis diſtribuant; & fidicines chorda alium, quæ ſumma eſt, alium, quæ infima, ſonum emittente, atque illa acutè ſonante, hac vocem grauem profundente dulci, & iucunda harmonia aures noſtras compleant. Quinetiam non aliter faciunt,ac ſi quis propterea tragædiam vituperet, quòd cuncti non ſint heroes, qui in hac loqui inducuntur, ſed aliquis in ipſa vel famulitij ordinis, vel agrorum colonus, vel ineruditus,infimæque notæ homo loquatur: Atqui actio tragica pulchra non erit,ſi quis inde inferioris fortunę homines tollat, cùm ipſius pulchritudo per hos quoque non parùm compleatur. In eodem errore verſantur,qui diuitiarum,paupertatiſúe gratia de Mente conqueruntur,eamque repræhendunt,quòd æqualis in his non contingat diſtributio. Hi prorſus ignorant, quòd boni æqualitas in his rebus, quæ ſunt aduentitiæ,& omnibus fortunæ telis propoſitæ, nequaquam eſt expetenda. Nec omnes in ſublime tolli queunt, nec omnes

poſſunt

poſſunt reges euadere, ac imperium inter alios exercere, quemadmodum nec omnes huiuſce corporis partes eãdem poſſunt habere dignitatem, idemque munus ſuſtinere. Iſti præterea non conſiderant, quàm ſit ſacrilega illius hominis temeritas, qui de conſilijs diuiniſsimæ Mentis audeat iudicare, quæ non vnius hominis, ſed totius orbis; non ad inſtans tempus, ſed ad omnia pariter ſecula ſibi proponit vtilitatem. Quapropter leuiter, tranquilloque animo ferant ſe pauperes eſſe, illudque memoria teneant ſe non ſibi ſolùm natos eſſe, ſed etiam rerum vniuerſitati, immo potiùs huic, quàm ſibi; naturaque ita comparatum eſſe, vt quicquid incommodi nobis accedit, id mundo maximas afferat commoditates, qui ortus noſtri præcipuam ſibi partem meritò vendicat. Etenim cùm hominum natura ſit mortalis, proptereaque multarum rerum indiga, videlicet agriculturæ, architecturæ, fabrilis, cęterarumq; artium, quæ ad cultum corporis neceſſarium pertinent, meritò ac decenter orbis totius optimus gubernator ſic homines diſpoſuit, vt alijs paupertas, alijs diuitiæ diſtributæ ſint, vt qui opibus abundant, materiam ſubminiſtrent, qui verò ſunt inopes, exercitatas artibus manus admoueant. Et herculè ſi omnes homines in æquali dignitate eſſent conſtituti, humanum genus penitùs aboleretur; nemo namque pro alterius commodis curam, laboremque ſubiret, nemo aratris terram verteret, nemo ſementem agris inſpergeret, nemo meſſem faceret, nemo denique vuas legeret, vinumque exprimeret. Non eſt igitur, vt quis hanc rerum varietatem grauiter ferat, aut Menti totius vniuerſitatis gubernatrici indignetur, quòd non omnes homines in eiſdem bonis, officijsq; verſentur. Sed hæc relinquamus, & quot, quæue munera in hoc prouidentiæ officio perſoluendo Mens dicatur ſuſtinere, breui conſideremus.

Quot, quæ'ue munera Mens dicatur ſuſtinere in officio prouidentiæ perſoluendo; Prouidentia quid ſit; Ac cur Dij, et Dæmones varias mundi partes dicantur ſortiri.

Cap. XXI.

MENS, vniuerſitati dum proſpicit, tria munera cognoſcitur ſuſtinere; primo totam terrarum, & cœlorum molem fabricauit, multos rerum ordines conſtituit, & ſuis quæq; gradibus diſpoſuit: altero res à ſe genitas in diſpoſitione conſeruat, qua fuerunt inter ſe colligatæ, & ordinatæ; quòd ſi perturbentur, confeſtim illas in ordinem adducit, rurſusque renouat diſpoſitionem; tertio cuncta mouet, & ſua cuique diſpenſat, vt cuiuſq; natura videtur poſtulare. Quamobrem cùm in mundi conſtitutione alia quidem veluti tota ſint fabricata, & alia tanquam partes; à nonnullis loci ſuperiores occupentur, à quibuſdam inferiores; multa quieſcant, nec pauca moueantur: & rurſus eorum, quæ mouentur, pleraque ex ſeipſis, & ſua ſponte cieantur, alia ab alijs agitentur, Mens ſingula ſuis quæque gradibus conſeruat, & pro cuiuſque conditione ſua munera diſpenſat, ita vt generalia totis, particularia partibus, præſtabiliora ſuperioribus, & minus præſtantia inferioribus diſtribuantur. Nec quæ ſtabilia, firmaque ſunt, ad motum impelluntur; aut quæ ex ſe ſua vi mouentur, quieſcere coguntur, ſed cuncta ſuæ naturæ conceduntur, & hæc quoquo modo moueri, illa manere permittuntur. Verùm hęc officia non ſolùm à Mente præſtantur, ſed etiam à Deo patre perſoluuntur, & a totius vniuerſi Anima aliquo pacto attinguntur, quibus vnà cum Mente generalis prouidentia coaptatur. Eadem officia (primum excipitur) à ſphærarum, ſtellarumque animis, & Dæmonibus ipſis miniſtrantibus in vniuerſitatem proficiſcuntur, & longè, lateque funduntur. Summus enim opifex

ea lege

ea lege hos,& illas in naturæ digeſtione conſtituit, vt pro viribus omnia attingant, quæ ad exactam mundi curationem poſſunt pertinere. Nec verò quiſpiam exiſtimet munus prouidentiæ interruptè à Dijs exerceri, atque hos ex interuallo iſtis caducis ſuam adhibere curationem, vt ſcilicet tunc mortalium curam ſuſcipiant, cùm ipſorum res in maximo diſcrimine verſantur, in priſtinam, aut etiam perfectiorem conditionem omnia reuocaturi; Enimuero Dij,qui ſua natura ſunt boni, continuata prouidentia neceſſariò vtuntur, quæ propria eſt effectio ipſorum bonitatis. Accedit, quòd,quia contiuenter fluunt, & labuntur omnia, ne temporis puncto hæc poſſent in ratione rerum permanere, ſi vel exiguo interuallo ipſis deeſſet diuina prouidentia. Quapropter Syneſius nullo pacto eſt laudandus, qui in orat. de prouidentia finxit prouidentiam,non veluti matrem, quæ cùm modò in lucem dederit infantem, in quibusq; incōmodis depellendis eſt occupata,ne infans à ſe editus omni ope, & auxilio à natura deſtitutus in aliquod detrimentum incurrat, ſed tanquam matrem, quæ vires, & arma iam ſoboli ſuppeditauerit, quibuſque vti filio præcipiat,vt nocitura per ſe propulſando ſuam ipſe tueatur incolumitatem. Ex his conſtare arbitror nos prouidentiam poſſe diffinire actionem Deorum,& Dęmonum,qua res omnes huiuſce mundi efficiuntur, conſeruantur, & in fines ſibi conſentaneos proficiſcuntur. Nunc Deorum nomine intelligi velim & prima rerum principia, & cœlorum, elementorumque animas, quibus Academicorum eſt conſuetudo Dei nomen attribuere. Hi res cunctas in proprios fines dirigendo & rebus ſingulis ſuas impartiunt, communicantque perfectiones,& totius vniuerſitatis commodis optimè proſpiciunt. Apuleius lib.de Plat.dogm. finiuit prouidentiam ſententiam diuinam conſeruatricem proſperitatis eius, cuius cauſſa tale ſuſcipitur officium. Chalcidius in Timæi enarratione. *Principiò*,inquit, *cuncta quæ ſunt, & ipſum mundum contineri, regiq; principaliter quidem à ſummo Deo, qui eſt ſummum Bonum vltra omnem ſubſtantiam, omnemq; naturam, exiſtimatione,in-*

ne, intellectuſq́; melior, quem cuncta expetunt; cùm ipſe ſit plenæ perfectionis, & nullius ſocietatis indigus: de quo plura dici nunc exorbitare eſt: Deinde à prouidentia, quæ eſt poſt illum ſummum ſecundæ eminentiæ, quam νοῦν *Græci uocant. Eſt autem intelligibilis eſſentia æmula bonitatis propter indefeſſam ad ſummum Deũ conuerſionem: Eſtq́; ei ex illo bonitatis hauſtus, quo tam ipſa ornatur, quàm cætera, quæ ipſo autore honeſtantur. Hanc igitur Dei voluntatem, tamq́; ſapientem tutelam rerum omnium prouidentiã homines uocant, non ut plerique exiſtimant ideo dictam, quia præcurrit in uidendo, atque intelligendo prouentus futuros, ſed quia proprium eſt diuinæ Mentis intelligere, qui eſt proprius Mentis actus, & eſt Mens Dei æterna: Eſt igitur Mens Dei de intelligendo æternus actus: Sequitur hanc prouidentiam fatum, lex diuina promulgata intelligentiæ ſapienti modulamine ad rerum omnium gubernationem: Obſequitur huic ea, quæ ſecunda Mens dicitur, id eſt Anima mundi.* Hactenus Chalcidius. Dixerunt alij prouidentiam Dei eſſe ipſius propriam Bonitatem, ut in inſtitutum ordinem, in ſuúque finem rem vnamquamque dirigit, atque ordinat. In qua diffinitione illud animaduertunt, quòd Bonitas eſt propria Dei ſubſtantia, ac proinde illi ingeneratum eſſe rebus cunctis prouidere, quando quidem, ut Proclus inquit lib. 1. de Theolog. Plat; ſi prouidere non eſſet Deo naturale, nec profectò ipſi natura boni ineſſet, nam quemadmodum uita uitæ, & mens intellectricis illuminationis eſt conditrix, ac omne primò ens in quauis natura ſecundò entis vim habet generandi, ſic bonum boni eſt erogatiuum. Quocirca cùm hæc ſit natura Dei, ſequitur, quòd ſicut nullo labore ignis calefacit, & homo ratione utitur, ita Deus nulla difficultate (quod Epicurus intelligere non potuit) terrarum magnitudini, marium amplitudini, cælorum immenſitati, mundoque demum vniuerſo proſpiciat, & cuncta ſine moleſtia aliqua, & pertubatione iugiter curet, atque adminiſtret. Adijciunt, quia hæc ipſa diuina Bonitas trifariam poteſt conſiderari, nempe ut eſt in Deo, & abſolutè: ſecundò quatenus per eam res cunctæ bonæ ſunt; poſtremò quatenus illius be-

neficio ſingulæ res, quæ bonæ ſunt, in fines ſuos, qui ſimiliter boni ſunt, deſtinantur, ac diriguntur; ſub hac tertia notione diuinam Bonitatem nuncupari prouidentiam. Nec deſunt, qui prouidentiam explicent ſummam in eo, qui mundi eſt opifex, & adminiſtrator, rerum omnium rationem. Zeno diuinam prouidentiam eſſe mundi naturã artificem, conſultricẽ, & prouidã utilitatum, & opportunitatũ oĩum exiſtimauit. Chryſippus dixit prouidentiam ad id, quod eſt utile, vnumquodque diſponere. Quidam ex ijs, quæ de fato ſunt à Stoicis memorię conſignata hanc deſcriptionem concinnarunt, prouidentia eſt æterna rerum uel omnium, uel magnarum ſaltem in ſuos fines à Dijs præordinatio, quæ per ſeriem, & ordinem cauſſarum ineuitabili neceſſitate perficitur. Alij aliter finiunt prouidentiam, verùm omnia perſequi non eſt neceſſarium. Quoniam diuina prouidentia ſeſe per omnia fundit, ſingula percurrit, & ne minimum ſui expers alicubi prætermittit, perſpicuum eſt, cur Dij, & Dæmones à Platonicis uarias mundi partes dicantur ſortiri, nam cùm horum eſſentia, & potentia ubique in ſe vigens certas, conſtitutaſque habeat huius uniuerſi partes, quas maximè illuſtrat, hinc fit, vt illis Dij, & Dæmones credantur præeſſe. Neque exiſtimandum eſt illos propriæ nobilitatis diſpendium facere, aut rerum, quibus admiſcentur, affici contagione, quoniam ut lumen in ſe manens abſque alicuius extranei permiſtione diuerſa paſſim illuminat, ita Dijs, Dæmonibuſque uſuuenire æquum eſt ſibi perſuadere: Non enim in ſe habent quidquã admiſtum diſpar ſui, atque diſsimile, neque ex illis, quæ gubernant, quidquam accipiunt. Et quemadmodum Solis lumen quàmuis aerem illuminet, nihilotamen minus idem totum continuum eſt ubique, neque in partes diſſecatur, neq; ab aliquo clauditur, neque à fonte proprio ſeiungitur, haud diſſimiliter cuiuſque Dei lumen totum indiuiduum toti mũdo præſidet, tametſi cuidam ſibi accommodato uim ſuam præcipuè impartiat. Scitè igitur Proclus teſtatum reliquit in com. in Alcib. duo eſſe diuinę, dæmoniacæque prouidentiæ

P attributa

attributa, primum, illam per omnia pertinere, & nihil quamuis minimum poſſe ipſam effugere: ſecundum, nihil omnino ex ijs, quæ cadunt ſub eius ditionem, accipere; nec eorũ natura repleri, nec eis alicubi commiſceri. Deorum namque, Dæmonumq; proprium eſt ita prouidere, ut nec gubernatis permiſceantur, nec ueluti addicti afficiantur. Quod licèt humanis animabus quandoque contigat, illis tamen hoc conceſſum eſt diuina, uel Dæmonica largitate. Itaque mundus Deorum numine multò faciliùs regitur, quàm corpus ab anima, quippe hæc corpori alligata ipſum regit, ac moderatur, at Dij huic uniuerſo proſpicientes nullius corporis uinculo ſunt conſtricti, ſed ſoluti, ſuarumque actionum domini. Neque fieri poteſt, ut illi diuinæ prouidentiæ officium exercentes ullis curis, uigiliiſque angantur, aut à uita declinẽt, quam uiuunt beatiſsimam, quandoquidem his uacant difficultatibus, quæ in rebus adminiſtrandis nobis occurrunt, quæque multas nobis ſæpè afferunt dubitationes, quibus perturbati vix aliquando poſt longam, diuturnamque cogitationem quid commodius ſit, decernere poſſumus: Apud eos nihil eſt negotij, nihil dubitationis, nihil difficultatis, ſed omnia ſunt expedita, omnia certa, omnia facilia, aguntque ſemper, quæ ſciunt eſſe meliora.

Omnia huiuſce uniuerſitatis ita aptè, & ordine ſunt diſpoſita, ut nullus caſui, & fortunæ locus relinquatur. Cap. XXII.

CVM diuinæ prouidentiæ miniſterio mundus gubernetur, ratio flagitat nihil non eſſe ordinatũ, & quæ homines putant caſu, & fortuitò euenire, ea penès totius uniuerſitatis adminiſtratores rectè, ac ordine diſpenſari. Ordinem namque naſci ex intelligentia nemo unquam dubitauit; qua de re cùm Mentis, quæ inter uniuerſi moderatores partes habet præcipuas, maxima, & perfectiſsima ſit intelligentia, ſanè machina mundana ex parti-

partibus diuerſis compacta adeo ordinatiſſimè conſpirat, & regitur, ut nulla autoritas caſui, & fortunæ ſit concedenda. Adde quòd euentus fortuiti ea de cauſſa ſolēt accidere, quia adminiſtrator uel non oīa conſpicit, uel non omnibus dominatur, at rerum omnium conſtitutio ſic uenit in diuinæ Mentis oculos, & poteſtatem, ut dictu ſit nefas aliquod illius aſpectum, & uim poſſe deuitare. Quòd ſi, ut nonnulli ex Platonicis autumant, lux eſt ſenſus in cælo, atque radios ex luce profluere eſt ſingula perſentire, ſentiendoque facere, & faciēdo ſentire, nullaque res in terræ uiſceribus deliteſcat, ad quā radiorum vis non pertineat (quod ex metallis, & lapidibus luminis uirtute ſub terra genitis poteſt omnibus perſuaderi) quis non putet Mentis radios his ſub aſpectum cadentibus præſtantiores in omnia diffundi, ubique ſingula procreare, & procreando conſpicere? Huius illud Orphei in hymno ad Saturnum nos admonet;

Qui princeps ortus, mundi partem incolis omnem.

Quamobrem quæcunque nobis accidunt repentina, & inopinata præter huius cognitionem non poſſunt euenire. Accedit, quòd perfectiſſima, & optima Mens prouidentiam ſibi aſciſcit abſolutiſſimam, ea uerò eſt, quæ nihil ignorat, & nihil improuiſum eſſe permittit. Atque mehercule ſic totus mundus prouidentia quadam imperatoria, ut ſcribit Plotinus lib. 2. de prouid. eſt inſtitutus cernente actiones, paſſiones, & quæ adeſſe oporteat, alimenta, machinas, & omnia neceſſaria; ſicque procedunt ſingula ab illius duce ſagaci quadam, ſolertique ratione (quamuis etiam nonnulla externa uideantur, ab eoq; aliena) ut quicquid in mundo accidit, proprium finem habeat, in quem referatur. Demum quæcunque caſu dicuntur euenire, ea ſub alicuius, & præcipuè Mentis cognitionem cadere, ex eo datur intelligi, quòd cùm euentus fortuiti ex diuerſarum cauſſarum concurſu exoriantur, fieri nequit, ut eorum ordinatio ab ea ſit cauſſa, quæ tantùm more naturæ ſuas functiones perficiat: ea eſt ratio, quia cauſſa huiuſmodi ad vnum duntaxat dirigitur, ac

proinde nullo pacto poteſt plures euentus inopinati cauſſas inter ſe diſperſas, & nullo ordine digeſtas ad unum effectum per ſe redigere; quare ſequitur, ut ab ea ſint; quæ cognitiotionis munere donata multas in ſe formas concipiat, easque inter ſe aptè diſponens rerum multiformium exiſtat principium, & diſsimiles cauſſas in unam euentus formam alijs im prouiſi mirificè congreget. Hinc Proclus in com. in Tim. fortunam definiuit non cæcam, & temerariam, ſed diuinam, & dæmonicam poteſtatem in vnum exitum cauſſas diuulſas cõgregantem. Et Plato in epiſt. cùm in cuiuſdam euentus fortuiti ſermonem incidiſſet, ubi fortunæ nomen uſurpauit, cõtinuò Dæmonis nomen ſubiunxit: Sæpe namque Dæmones occulta quadam perſuaſione hunc hominem hac uia, illum illa in eundem locum mittentes efficiunt, ut illi ſibi obuiam venientes euentum pariant ſibi inopinatum, à ſuperis autem præuiſum. Ex his manifeſtum eſt omnia huiuſce uniuerſitatis ita diſtinctè, ita ordinatè eſſe diſpoſita, ut nullus caſui, & fortunæ locus relinquatur. Quod quoque perſpicuum erit, ſi quiſpiam ſecum ipſe cogitet totam mundi machinam terris circunfuſam in omni diſpoſitione, motuque eundem ordinem ſemper retinere, nec aliquo modo perturbari; adhæc terrena omnia certiſsimo ordine oriri, & occidere. Nõ enim fiunt quælibet ex quibuſlibet, uel mouentur ad quælibet, aut quomodolibet fiunt, uel mouentur, ſed certis omnia modis, ſemperque ſimiliter ſuis ſtatutis temporibus. Si hæc, inquam, omnia quis conſideret, planè ſentiet in hac ſpecioſa rerum varietate nihil indiſtinctum, nihil inordinatum, aut perturbatum poſſe reperiri.

In mundo nullum malum eſt alicuius autoritatis. Cap. XXIII.

EADEM ratione, quia ſcilicet mundus diuinæ prouidentiæ ſubijcitur, par eſt credere nullum malũ in eo alicuius eſſe autoritatis, nam ſi omnia, quæ exiſtunt, fluunt à Bono, ſingulisq́ue ineſt Bonum, continetq́ue omnia, nimirum in his malum eſſe non poteſt: Quod uel etiam ex eo non eſt impendiò obſcurum internoſcere, quòd omnis mutatio, quæ uidetur mala, confert ad optimum ſtatum vniuerſi. Non enim mundus in miſti diſſolutione vllum patitur detrimentum, aut propriæ perfectionis iacturam facit, ſed uel elementa in ſuas, quas illis natura dedit ad conſeruationem, ſphæras reuertuntur, uel compoſitum aliud generatur: quomodò enim illius eſſet generatio, quod ex interitu alterius procreatur? Itaque corruptiones, defectus, & cætera, quæ uidentur nocere, quibuſdam alijs vehementer conferunt, & in cauſſa ſunt, ut uires quamplurium, quæ alioquin otiarentur, atque torpeſcerent, in effectiones erumpant, ſuaque munia præſtent. Hoc teſtantur veteres Theologi aſſerentes nihil in mundo interire, quia eſt ſecundus Deus, necnon uiuens immortale, ſed corpora compoſita diſſolui, diſſolutionem verò minimè eſſe mortem, ſed miſtionis ſolutionem; ſolui autem unionem, non vt ea, quæ ſunt, intereant, ſed ut cætera iuueneſcant. Quæ omnia à Mercurio confirmantur; *Simul quippe,* hic inquit in Piman. *mundus vniuerſus exiſtens totus quidem immobilis, partes autem eius agitabiles undique, nihil tamen corruptioni obnoxium. Sed appellationes quædam falſæ homines turbant. Neque enim generatio uitæ creatio eſt, ſed latentis uitæ explicatio; neque corruptio mors eſt, ſed potius occultatio, cùm hæc igitur ita ſe habeant, cuncta immortalia.* In eandem ſententiam Anaxagoras, & Euripides dixiſſe uidentur nihil eorum, quæ ſenſibus accipiuntur, interire, ſed in aliud commutatum formam diuerſam induere, atque alterius procreationem facere. Quòd ſi mori

eſt

eſt corpus vnum exuere, & alterum induere, ueluti ſi perſo-
na, quæ in ſcena fingitur interfecta, mox ueſtem mutet, alte-
riuſq; perſonam ſuſtinens in ſcenam regrediatur; quid'nam
mali ſecum afferre poſſunt huiuſmodi commutationes? im-
mo potiùs cenſendum eſt maximas ex ſe fundere utilitates
ad ſalutem vniuerſi multùm neceſſarias. Enimuero cùm ea
conditione informis uniuerſi materia ſit in natura rerum cō-
ſtituta, ut formas innumerabiles appetendo eas quandoque
accipiat ad totius mundi perfectionem, atque has ſimul om-
nes ob repugnantes ipſarum naturas nequeat ſuſtinere, factū
eſt, ut his continuatis mutationibus formas in ſe omnes ma-
teria aliquando recipiat alijs alijs uiciſſim in ipſa ſuccedenti
bus. Hæ præterea corporum mutationes ad optimum habi-
tum, & nouationem vniuerſitatis vehementer conducunt,
quòd huiuſmodi vijs unius uita alterius morti ſuccedit, & ex
vnius interitu alterius generatio conſurgit. Fit ignis ex aere
intereunte, hic ex aqua, aqua ex terra, & hæc ex igne ad inte
ritum accedente. Id ipſum quoque, quod mortem appellāt
homines, eſt perennitatis principium, & uitæ ſempiternæ
procreatio, pereuntibus ſcilicet ſua lege, ſuoque tempore
corporibus, & animis fracto carcere ad proprium locum, pro
priamque uitæ conditionem euolantibus. Quid? in anima
ipſa nullum eſt malum, hæc enim quicquid eligit, illud tan-
quam bonum ſibi proponit, illiusque ueluti boni trahitur cu
piditate. Et quanquam minus bonum anteponi maiori ſit
contra officium boni, attamen huiuſmodi electioni eſt conſo
nū, prorſusque conſentit legi iuſtitiæ naturalis, qua ſancitum
eſt, quicquid ad deteriora uergit, deterius affici, uitamque
ſubire deteriorem. Euadit prçterea animæ eligenti bonum,
quoniam ſequitur neceſſario pœna (nam electio ipſa, motio-
que peruerſa & peccatum eſt, & pœna) quæ animam percu-
tiendo, & affligendo illam prouocat ad odium prauæ electio
nis quo, fit, ut in cæteris rebus eligendis cautiùs ſe habeat, &
diligenter excogitet, quo modo queat huiuſmodi prauas e-
lectiones declinare. Huc demum accedit hominis animam

ex boni,

ex boni, pariterque mali notitia perfectiorem euadere, atq; ex mali formidine boni deſiderio inflammari. Illi igitur ſunt vtique ridendi, qui prouidentiam damnant, quòd libera ex uoluntate mala proficiſcantur, multaque mala in uniuerſitate eueniant, quoniam maiora bona inde eliciuntur. Cum his conſentit Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum; *Diuinæ, inquit, ſapientiæ, & uirtutis, & potentiæ eſt officium non ſolùm bona facere (hæc eſt enim, ut ſemel dicam, Dei natura; ut ignis calefacere, & lucis illuminare) ſed illud quoque maximè, ut id, quod per malos aliquos excogitatum eſt, ad bonum aliquem finem, et utilem deducat: & utiliter ijs, quę uidentur mala, utatur.* Eiuſdem ſententiæ eſt D. Auguſtinus in Enchir. *Deus, inquit, omnipotens nullo modo ſineret malum aliquod eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo omnipotens eſſet, & bonus, ut benefaceret etiam de malo.* Dionyſius præterea uir ſummè diuinus, ſummeque Platonicus lib. de diuin. nom. non ſolùm cenſet Deum cognoſcere malum ſub ratione boni, ac penès ipſum malorum cauſſas eſſe beneficas uires; uerùm etiam oſtendit malum habere nullam ſubſiſtentiam in hac rerum uniuerſitate, quoniam malũ uel ex bono exiſtit, uel ex malo, ſed neutrum poſſumus tueri, ergo nulla exiſtentia eſt malo tributa in natura rerum. Malum ex bono nequaquam exiſtere, uel ex eo perſpicitur, quia ſi ex bono ſit, non eſſet malum, non enim boni eſt facere nõ bona, quemadmodum nec ignis eſt frigefacere. Iam uerò cùm omnia, quæ ſunt, ex bono procedant (natura enim boni eſt producere, atque ſeruare; mali uerò perdere, ac diſſoluere) plus ſatis patet nihil eorum, quæ exiſtunt, nec ipſum malum oriri ex malo. Præterea ſi quęcunque ſunt, pulchrũ, bonumque appetunt; & quicquid agunt propter id, quod uidetur bonum, efficiunt; omniſque rerum intentio bonum ſpectat, ut principium, atque finem; nihil enim mali naturã ſibi proponens quicquam omnino rerum gerit; quonam modo in ordine rerum erit malum? Amplius quia omnia, quæ ſunt, uel ex Bono procedunt, uel ſunt ipſum Bonum, malum ſi ſit, aut in hoc, aut in illis erit ponendum: Verùm ſi omnia,

quæ ſunt ex Bono, continent bonum, in his profectò malum non erit? Et cùm malum ſit contrarium Bono, quonam pacto malum in Bono inerit? Nec uerò ſentiendum eſt cum Manichæis, qui Magos, & Zoroaſtrem ſequuti finxerunt duo rerum eſſe principia inter ſe contraria, & repugnantia, atque alterum ex his bona præbere, alterum mala, nam ſi iſtud conccedatur, nec Deus ipſe à detrimento, moleſtiaq; procul aberit, ſiquidem non deſit, quod ipſum quoque perturbet. Cæterùm hic uir longiùs progrediens, & in propoſita ſententia permanens monſtrat malum non eſſe in Angelo, neque in Dæmone, neque in anima, neque in natura, neque in corpore, nec denique in ipſa materia, quæ rerum omnium eſt infima, ſuamque ſententiam confirmat multis, ac uarijs argumētis, quæ ex illius opere diuiniſſimo petantur. Atqui ambiget aliquis ſi malum nullam eſſentiam, uel generationem habet, quæ, qualiaúe ſunt ea, quæ vulgò dicuntur mala. Ad hoc reſpondendum eſt ex doctrina eiuſdem uiri Bonitatem per omnia ſeſe diffundentem non ſolùm ad illas, quæ ſunt circa ipſam ſubſtantias optimas accedere, ſed ad extremas vſque procedere; Veruenimuero quoniam non omnia ad excipiendam bonitatem ſunt æquè accommodata, hinc fieri, ut alia prorſus Bonum participent, & alia magis minuſúe, prout natura ipſorum poſtulat. Quæcunque igitur in malis numerantur, non ſunt uerè, ac ſimpliciter mala, ſed bona minora, & imperfecta, fiuntque propter abſentiam, & defectum maioris bonitatis. Itaque in corporibus non eſt uerè aliquod malum, nam deformitas, & morbus, quæ vulgò dicuntur mala, ſunt defectus ſpeciei, ordiniſque priuatio: Hæc autem nō omnino mala ſunt, ſed minus bona, alioquin ſi pulchritudinis, ſpecieique, & ordinis integra fiat ſolutio, ipſum quoque corpus in nihilum abibit: Quinetiam in animabus non eſt aliquod malum, ſed quæ in ipſis mala creduntur, fiunt ob affectionum, actionumque bonarum defectum, & quoniam aberrantes à fine ob infirmitatem propriam dilabuntur. Quāobrem in nobis ſiue in anima, ſiue in corpore non ita malum

eſt,

eſt, quaſi exiſtẽs aliquid, ſed tanquã defectus aliquis, per quẽ caremus bonis perfectioribus. Ab his Proclus minimè eſt diſſentiens, qui in lib. de malo habet hæc. *Malũ neq; eſt in rebus intellectualibus, nã proximæ ſunt ipſi Bono, neq; in animabus, corporibusq́, vniuerſalis enim forma, & authoritas eſt propria bono: Reliquũ eſt igitur, ut malũ in particularibus ſit animabus, atq; corporibus. Neq; tamen in borũ eſſentijs ex Deo natis, neq; rurſus in naturalibus borũ uiribus; nã ex Deo quoq; dependent. Horum igitur actionibus duntaxat accidit malũ; ſed quantũ ſpectat ad aĩas, nõ in actionibus quidẽ earũ rationalibus, oẽs enim appetunt bonum; neq; rurſum in actionibus earũ ratione carentibus; hæ nãq; natura feruntur, ſed in quadã earũ inter ſe incongruitate, quam uocant asymmetriam: quantum deinde ſpectat ad corpora, malum non eſt in forma, vult enim materiæ dominari; neque in materia, nam appetit exornari, ſed in quadam materiæ ad formam ineptitudine.* Vnde concludit malum omne præter ſubſiſtentiam eſſe; & affirmat quicquid mali uidetur accidere ſub boni conditione diuinitus colorari. Porrò ſi quis etiam mala admittat, uelitq́; ea, quæ ab indoctis mala uocitantur, propriè, ac uerè mala exiſtere, attamen horum cauſſa neque in Deum, neque in Mentẽ erit conijcienda, nam Plato lib. 2. de Rep. vult Deum, qui bonus eſt, nõ omnium eſſe cauſſam, ſed paucorum, multò enim pauciora nobis ſunt bona, quàm mala: Et bonorum quidem ſolus Deus cauſſa eſt dicendus, malorum autem quamlibet aliam præter Deum cauſſam quærere decet. Itaque Homerum accuſat ſtultè dicentem in Iouis limine duo iacere dolia plena ſortibus, bonis unum, malis alterum; cumq́ue ex his Iupiter inuicem commiſtis impertit alicui, aliàs huic benè, aliàs malè eſſe; Cui uerò ex altero datur, hunc veſanam famem ſuper terras exagitare: Non enim admittendum eſt Iouem nobis penuarium eſſe bonorum, atque malorum. Hac ratione Plutarchus adductus lib. de Animæ procreatione ſcriptum reliquit Deum non eſſe omnino opificem animæ noſtræ, quoniam huius pars quædam inſitam habet mali portionem, nempe ea, quæ perturbationum contra rationem

exultantium continet Fontem, & originem. A cuius opinione Chalcidius non diſcedens in com. in Tim. opinatur Platonem dicere animarum quidem ædificationi Deum opificē præfuiſſe: earum uerò, quæ animis ſubtexuntur, alijs diuinis poteſtatibus inferioribus munus, atque officium eſſe mandatum, ita ut puræ quidem animæ, ſyncereæque, & uigentes, florentesque rationibus à Deo factę ſint, uitioſarum uerò partium animi, quæ ſubtexuntur, hoc eſt iræ, & cupiditatis autores habeantur hæ poteſtates, quibus ab opifice Deo talis cura mandata ſit. In eandem ſententiam Philo lib. de mundi opificio fuit illud interpretatus; *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*; cuius uerba placet appingere, quæ ſunt. *Dicat aliquis, nunquid opus eſt quopiam ei, cui obediunt omnia? an cùm cælum faceret, terram, & maria nullo egebat cooperatore, hominē uerò tam paruum animal, ac fragile facturus non poterat abſque alieno adiutorio ſuiſmet ipſe uiribus effingere? Huius rei cauſſam verisſimam neceſſe eſt Deum ſolùm ſcire, cæterùm quæ per coniecturas credibiles uidetur rationi conſentanea, non eſt cælanda; eſt autem hæc: Rerum, quæ ſunt in natura, aliæ nec uirtutis participes cenſentur, nec uitij, ut ſtirpes, & bruta; illæ quia inanimæ, & ſuapte natura imaginationis expertes; hæc quia carent mente, ac ratione; Vitij uerò, ac uirtutis tanquam domicilium uidetur mens, & ratio, in quibus commodè inhabitent: Aliæ item ſola uirtute prædita nihil omnino habent uitij, ut ſtellæ, nam hæ animalia eſſe dicuntur, & quidem intelligentia, uel potius Mentes ſingulares, totæ quantæ probæ, nec ullius capaces uitij: Rurſum aliæ miſtę ex utraque natura, ut homo, qui contrariorum eſt capax, prudentiæ, & imprudentiæ; temperantiæ, & continentiæ; fortitudinis, & timiditatis; iuſtitiæ, & iniuſtitiæ, & ut compendio dicam, boni, & mali; turpis, & honeſti; uirtutis; & uitij. Ergo conueniebat, ut uniuerſalis ille pater Deus bona quidem per ſeipſum ſolùm faceret, quippe ſibi cognata, ſicut nec indifferentium creatio fuit aliena ab eo, quandoquidem hæc quoque expertia ſunt uitij Deo inimici: Cæterùm miſtorum creatio partim erat ei propria, partim impropria; propria propter admiſtam eis meliorem ideam; impropria uerò*

propter

propter contrariam, & deteriorem. Quamobrem de ſola hominis generatione ſcriptum eſt: Dixit Deus, Faciamus hominem; quod indicat aſſumptos alios tanquam cooperatores, ut irreprahenſibiles tam uoluntates, quàm actiones hominis rectè ſe gerentis acceptum ferantur Deo rectori omnium; contrariæ uerò alijs ipſi ſubditis. Oportebat enim patrem non eſſe cauſſam malorum ſuis filijs, malum autem eſt uitium, uitioſæq; actiones. Hactenus Philo, qui quòd Diuiniſſimæ Trinitatis myſteria minus haberet explorata, peruerſè hunc locum fuit interpretatus. Sed hæc maioris, & altioris ſunt negotij, quàm quod ſuſcepimus. Maximus Tyrius ſerm. 25. exquirens unde ſint mala, cùm Deus bona agat, de hac re ita ſentit: *Quemadmodum in artium opificijs aliud eſt, quod ex profeſſo ars ipſa operis finem intendens ſibi agendum eſſe deſumpſit: aliud quod operæ negotio conſequens eſt, quod quidem artis nequaquam opus eſt, ſed materiæ affectio, ut ſunt ex incude reſilientes fauillæ, ex camino ipſa fuligo, aut alia alterius rei affectio, quæ neceſſariò addicta eſt operi, neque adeo artificis eſt propoſitum, ſic etiam pro ijs, quæ accidunt terræ, quæ nos inuaſionem malorum humanorum appellamus, minimè artem culpare debemus, ſed potiùs cēſere naturas quaſdam eſſe neceſſariò negotium fabricæ ſubſequentes: Enimuero quæ apud nos opinionem malorum, corruptionisq; habent, pro quibus etiam angimur, ea profectò ipſe artifex ad ſalutem uult eſſe vniuerſi; Nam cùm uniuerſi curam intendat, partes nimirum ipſas oportet pro uniuerſi ſalute laborare.* His ualde ſunt ſimilia, quæ à Mercurio ſunt prodita ad finem Pimādri, vbi aſſeritur ab ipſo mundi opifice nullum malum, nullam turpitudinem emanare, ſed hæc eſſe paſſiones creata opera ſubſequentes, ut æs rubiginem, aut animata corpora limum. His quinetiam ſummopere ſunt confinia, quæ à Chryſippo lib. 4. de prouidentia fuere tractata, quo in libro cùm inquireret, natura ne ipſa rerum, uel prouidentia morbos debilitates, & ægritudines corporum fecerit, quas patiuntur homines, in eam iuit opinionem nequaquam fuiſſe primum naturæ propoſitum homines gignere ad ægritudines patiendas accommodatos; numquam enim hoc conueniebat naturæ

autori,parentiq́ue rerum omnium bonarum,ſed cùm multa, magnaq́ue procrearet,aptiſſimaq́ue pareret,ac utiliſſima,alia quoq; ſimul agnata ſunt incommoda ijs ipſis, quæ faciebat, cohærentia;eaq; non per naturã,ſed per conſecutiones quaſdam neceſſarias generata. Sicut cùm natura hominum corpora formaret, ratio, & utilitas operis poſtulauit, ut tenuiſſimis,minutiſq́ue oſſiculis caput compingeret,quam profectò vtilitatem rei maioris alia quædam incommoditas extrinſecùs conſequuta eſt, quia ſcilicet caput fecit tenuiter munitũ, & ictibus, offenſionibusque paruis facilè obnoxium. Itaque dum per conſilium naturæ ſalus gignitur, ægritudines, itidẽ & mala per conſecutionẽ ſunt generata.Hęc Chryſippus,qui quoque in eiſdem libris de prouidentia illos prorſus rudes, & ignàros appellat, qui magnam eſſe uim malorum animaduertentes è mundo eijciunt prouidentiam: nam cùm bona malis contraria ſint, utraque neceſſarium eſt oppoſita inter ſeſe, & quaſi mutuo, aduerſoq́ue fulta nixu conſiſtere, quòd nullum contrarium queat in ratione rerum abſque altero cõtrario cohærere. Quo enim pacto iuſtitiæ ſenſus eſſe poſſet, niſi eſſent iniuriæ? aut quid aliud iuſtitia eſt, quàm iniuſtitiæ priuatio? Quí item fortitudo intelligi poſſet,niſi ex ignauię oppoſitione? quí continentia, niſi ex intemperantia? quo item modo eſſet prudentia, niſi foret contrà imprudentia? Ergo cùm bonum, & malum ſic natura ſint comparata, ut uerticibus inter ſe contrariis ſint deligata, equidem qui malum è mundo tulerit, bonum auferat quoque eſt neceſſarium.

De proui-

De prouidentia, non eſt, vt quis conqueratur, ſi hominum plerique iniuſtè vitam agentes nihil mali reportent. Cap. XXIIII.

NEc verò aliquis de prouidentia conqueratur, ſi hominum pleriq; iniuſtè vitam agentes habeãt omnia ſecundiſſima nihil mali omnino reportantes; nam cùm genus humanum (vt docet Plotinus lib. 1. de prouid.) inter Dæmones, & bruta habeatur interiectum, ad ordinem pertinet vniuerſi, vt horum, atque illorum participet cõditiones, atque modò ſeruet medium, & modò ad alterum extremorum propiùs accedat. Itaque hominum alij Dæmonibus, nonnulli brutis ſimiliores euadunt, & plurimi inter hos medium tenere ſpectantur. Qui ad bruta proximè accedunt, multiſque vitijs ſunt inquinati, hi ſunt miſeri, atque infelices, tum quia longè, multùmque abſunt à felicitate, quæ poſita eſt in actione virtuti conſentanea: tum etiam quoniam dignis ſupplicijs vel ſtatim, vel tẽporis ſpatio plerunque afficiuntur. Neque tarditas, cunctatioque numinis in pœna malis irroganda fidem deroget prouidentię, quippe vt ſcribit Plutarchus lib. de ijs, qui ſerò à numine puniuntur, multis de cauſſis Deus hominibus prauis interpoſita mora, ac tardè pœnas infligit, primùm vt hoc exemplo ſuo nos doceat ſæuitiam, atque vehementiam omnino eſſe vitandam in puniendis peccatis; ſiquidem nos in Deum intuentes, qui tametſi nullius rei metu, pœnitentiaúe ducatur, tamen ſupplicium differt, & in futurum reijcit tempus, admonemur non in ira, aut cùm maximè feruet, & palpitat cor, ſed adhibito temporis ſpatio cautè, ac modum, & opportunitatem ſupplicij conſiderando pœnam eſſe irrogãdam ijs, qui iniuria nos affecerunt. Præterea Deus non omnibus malis eodem modo pœnas accelerat, vt quibuſdã det locum, & opportunitatem pœnitendi. Enimuero Deus om-

ues homines vitio captos iuſto ſuo iudicio aggrediens, eorumque motus, & animi mores perſpiciens eos, qui prorſus inſanabiles ſunt, ſtatim punit, quia omnino & alijs nocent, & ſibi multò maximè in vitijs vitam agentes; quicunque autem ignoratione boni potiùs, quàm appetitione mali peccata ediderunt, ijs tempus vitia mutandi largitur, quòd ſi perſiſtant in flagitijs edendis, de ipſis quoque ſupplicia ſumit, nõ enim metuendum eſt, ne non ſint quandoque pœnas daturi. Deinde pœnæ quorundam in benè longum tempus proferuntur, vt ijs tanquam carnificibus de alijs malis pœnæ ſumantur, quod vel præcipuè verum eſſe de pleriſque tyrannis exiſtimandum eſt: ſiquidem Deus nonnullis populis, & nationibus morſu, & pœna indigentibus inijciens tyranni alicuius ſæuitiam implacabilem, aut magiſtratus moleſtam aſperitatem non antè id, quod excruciat, præcidit, vitaq; priuat, quàm ij, qui vitijs ægrotant, fuerint morbis liberati. Poſtremò cùm vitioſitas ſimul ſecum afferat id, quod animum mordet, atque percutit, dicendum eſt malos non ſubſequentem, ſed præſentem pœnam ſemper habere. Enimuero vt quis improbè egit, ſtatim conſcientiam intus vrgentem, plectentemque habet, & multæ, variæque curæ illum ſollicitant, anguntque vehementer, nam ſemper abundat metu, dolore, memoriaque triſti, in præſenti ſtatu ſibi diffidit, de futuro ſiniſtrè ſuſpicatur, & cùm nihil habeat in ſe amabile, nec ſibi, nec alijs eſt amicus. Quapropter (ſi fas eſt dicere) vitioſi neque Deo, neque homine indigent, qui in hac vita ipſos pœna afficiat, nam ad hoc ſufficit ipſa eorum vita, tota à prauitate corrupta, atque conturbata. Quòd ſi quis ita fuerit vitijs imbutus, & in eiſdem confirmatus, vt nullam habeat delictorum conſcientiam, neque ex peccatis perpetratis vllis angoribus, ſollicitudinibusque conficiatur, non eſt tamen periculum, ne manibus Dei omnia maleficia accerrimè vindicantis elabatur, quoniam flagitia, quæ in hac vita nullo ſupplicio conſtringuntur, in alia à diuina prouidentia acerbiùs caſtigantur. Siquidem homines vbi è vita ceſſerũt, atque in eum

locum peruenerunt, quò Dæmon poſt obitum vnumquemque perducit, illic omnes & qui honeſtè, ſanctèque, & qui aliter vitam traduxerunt, ex æquo, bonoque iudicantur. Quare quicunque in vita quodammodò tenuiſſe medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti vehiculis, quæ adſunt vnicuique in paludem perueniunt Acheruſiam, ibiq; habitantes purgantur, pœnasque luunt iniuriarum, & cùm purificati ſunt, abſoluuntur, rurſusque pro merito ſinguli benefactorum præmia reportant. Qui autem videntur inſanabiles eſſe ob magnitudinem delictorum, vt qui ſacrilegia multa, & grauia, quique cædes præter æquum, ac iuſtum frequenter admiſerunt, & quæ ſunt alia generis eiuſdem, hos omnes æqua, & conueniens ſors in Tartarum demittit, vnde nunquam ſunt emerſuri. Qui verò expiabiliter quidem, ſed tamen grauiter videntur peccaſſe, quale eſt, ſi qui iracundia parciti violenter in parentes aliquid fecerint, ſed tamen pœnitentia adducti eos in reliquo ſpatio vitæ coluerint: aut ſi qui hominem occiderint, vel tale quippiam perpetrarint, hos ſanè ipſos nihiloſecius oportet in Tartarū deijci; cùmq; annum ibi totum peregerint ab vndis eiectantur, homicidæ quidem ad Cocytum, qui verò in parentes peccarunt, ad Pyriphlegethontē: Poſtquam verò ab his fluminibus delati ad paludem Acheruſiam peruenerunt, illic clamantes, vocitantesque eos, quos vel necauerunt, vel iniurijs affecerunt, ſuppliciter deprecantur, vt ipſos permittant per paludem progredi, ibique abſolui; illis annuentibus illuc penetrant, finemque malorum accipiunt, renuentibus verò iterum in Tartarum deuoluuntur eadem, quæ priùs, adhuc ſupplicia ſubituri. Qui autem viuendi ſanctitate cæteros excelluiſſe videntur, hi ſunt, qui ab hiſce terrenis locis tanquam à vinculis ſoluti, prorſusque liberati ad ſuperiorem illam puram habitationem perueniunt, atque ibi in regione optima collocantur. Qui verò homines per philoſophiam ſatis purgati fuerint, ij & reliquum omne tempus abſque vllis penitùs laboribus viuunt, & pulchriores, quàm hæ ſint, habitationes

nanciſcun-

nanciſcuntur. Atque hæc eſt Platonis ſententia in Phędone, cui conſentiunt ea, quæ narrantur in Gorgia, quo in loco ſcribitur à Platone eum, qui vitam iuſtè, & ſanctè tranſegerit, morte obita in beatorum inſulas deferri, easque incolentem frui omni felicitate, & exortem eſſe omnium malorum, qui verò iniuſtè, atque impiè uixerit, in iudicij, ac iuſtitiæ carcerem detrudi, quem Tartarum uocant. Nec uerò aliquis optet, confidatúe ſe adeo felicem fore, ut iudicium hoc effugiat, nam qui hoc ſanxerunt, firmiùs quàm cętera omnia ſtabilierunt, ut nullo pacto queat præcaueri. Quapropter quiuis, ſemper hoc iudicium ſubibit, & poſt mortem conuenientia ſupplicia dabit. In eandem ſententiam multa ſcribuntur lib. 10. de Rep. ubi Plato Herum Armenium genere Pamphiliũ reſurrexiſſe confingens de inferis illum multa, mirandaque explicantem iuducit, quæ nunç minimè afferremus, ne longiorem æquo ſermonem protrahamus. Plutarchus in lib. de ijs, qui ſeriùs à Deo puniuntur, quendam ex Theſpeſio Soleſi hæc, & alia de inferis narrantem inducit; *Adraſtiam Iouis, & Neceſſitatis filiam omnibus flagitijs vindicem ſupremo loco collocatam eſſe: neque malorum quenquam ita uel magnum, uel paruũ vnquam fuiſſe, ut aut latendo, aut uim faciendo pœnæ ſe ſubducere potuerit. Porrò alios aliter puniri, & ipſam tria ſuppliciorum genera tueri, atque exequi. Quoſdam enim ſtatim in corpore, & per corpora plectendos pœna uelox arripit miti quadam ratione, & multa omittat expiationis indigentia. Quorum uerò malitia operoſiorem flagitat medicinam, eos Dæmon poſt mortem tradit Iuſtitiæ. Prorſus autem inſanabiles Iuſtitia repellente tertia, & ſæuiſſima Adraſtia miniſtrarum Erinnys hinc inde uagantes, atque fugientes curſu aſſequens miſerabiliter, atq; immaniter uniuerſos abolet, in locumq́; demergit, qui neque cerni oculis, neque uiſu adiri poteſt.* Et paucis interiectis. *Qui verò hinc pœna euitata, & inexpiatus eò peruenit, hunc excipiens Iuſtitia conſpicuum, atque nudum, ac qui prauitatem ſuam nulli rei immergere, nullo uelare modo poſſit, ſed undequaque ab omnibus talis, qualis eſt conſpiciatur, primũ parentibus, ac maioribus ſuis probis (ſiquidem tales ſint) demonſtrat*

ſtrat indignum ipſis, atque conſpuendum. Sin mali fuerunt, pœnas eorum videns ipſis viciſſim cernentibus plectitur per longum ſatis tempus, ſingula vitia ijs luens doloribus, ac cruciatibus, qui magnitudine, & vehementia tantò ſuperant corporis dolores, quantò res vera eſt quàm ſomnium efficacior. Cicatrices autem, & vibices reſtant à ſingulis vitijs, maiores alijs, alijs minores. Socrates apud Xenocratem in Axiocho à Mago quodam Gobria ſe accepiſſe ait Opim, & Hecaergum tabulas æneas ex Hyperboreis attuliſſe, in quibus continerentur animam ab hoc corpore ſolutam in occultum locum ſub terram migrare, in quo Plutonis ſit regia nihilo minor quàm aula Iouis, atque ad Minoem, & Rhadamantum duci in eam regionem, quæ veritatis campus cognominetur. In hac iudices ſedere recognoſcentes eorum, qui aduenerint, vniuſcuiuſque vitam, & qua quiſque ratione corpus inhabitans vitam peregerit. Nec mentiendi illic vllam eſſe facultatem. Quibuscunque autem in vita melior aſpirauerit Dæmon, eos incolere ſedes beatas, plenasque gaudij, & iucunditatis. At illos, quibus per ſcelera vita fuerit peracta, rapi ad locum impiorum, vbi indeſinenter lampadibus aduſti, & omnium pœnarum afflicti cruciatu tormentis laniantur immenſis. Mercurius ſic fermè ſcribit; *Anima ab hoc corpore diſcedens tranſit in ſummi Dæmonis poteſtatem, qui ſi delictorum maculis fœdatam, vitijsq́; oblitam viderit, illam deſuper ad ima deturbans procellis, turbinibusq́; aeris, ignis, & aquæ ſæpe diſcordantibus tradet, quæ inter cœlum, & terram mundanis fluctibus in diuerſa ſemper æternis pœnis agitata raptabitur, vt in hoc obſit animæ æternitas, quòd ſit immortali ſententia æterno ſupplicio ſubiugata.* Hæc ex Platone, & alijs excerpta collibuit hìc potiſſimum ſubnectere, quòd pleraque inſint à veritate euangelica minimè diſſentanea.

In quam ſententiam accipienda ſit Pythagorica, & Platonica metempſichoſis. Cap. XXV.

HIc illud quoque videtur opportunè dicendum, quod à Plotino explicatur in hac dubitatione diſſoluenda; Scribit hic vir lib. 1. de prouid. ad Pythagoreorum opinionem rerum omnium eſſe viciſſitudinem, & quorum delicta in vna vita dimittuntur impunita, eis in alia pœnas ſuis dignas ſceleribus perſolui: Quocirca quicunque diuitijs abutuntur, vitam aliam agentes efficiuntur pauperes; qui olim necauerunt parentes in poſterum à filijs extinguentur; & qui iniuſtè alicui mortem attulerunt, iniuſtè ſimiliter morte mulctabuntur. Hanc puniendi rationem Cabaliſtæ Hebræorum doctores comprobarunt, prodideruntque hominis animam ſæpius in hanc vitam reuertere, atque hoc modo ſuæ improbitatis pœnas ſuſtinere. Illud verò inter hos, & Plotinum intereſt, quoniam putant Cabaliſtæ animas in hanc vitam ſub humana tantùm figura reuolui, & ter tantùm huc reuerti; quòd hęc ſufficiunt ad purgationem animarum: Plotinus autem, & Pythagorici tradunt etiam in brutorum corpora poſſe migrare, hoc eſt, in ſuis moribus ſimillimas figuras pecudum, & ferarũ tranſferri, & multotiens fieri huiuſmodi conuerſiones. Empedocles Pythagoram fuit ſequutus, vt ipſe his teſtatur verſibus.

Olim namque fui ceſpesq; , puerq; , puellaq;
Et uolucris cœli, atque alti maris incola piſcis.

Et alibi.

Mutatos ſobolis mactat pater impius artus
Dis epulum libans ſæua prece territa mente.
Hoſtia luctifica funeſtatur dape menſa.
Natus item vt pecudes cædit matremq; , patremq;
Nec ſentit charos mandens ſub dentibus artus.

Item alio loco.

Comprimite ò gentes homicidia: nonne videtis

Mu-

Mandere vos proprios artus, ac viſcera veſtra?

Hæc opinio fluxit ab Ægyptijs, quibus perſuaſum fuit animam eandem cùm hominem, tum verò bouem, & canem, & auem, & piſcem induere, atque modò ceu brutum animal humi herbas depaſcere, modò in piſcem conuerſam in mari viuere: rurſus in naturam auis traductam in aere volitare, deniq; in aliud atq; aliud animantiũ genus verſã tandẽ pera gratis omnibus eò rurſus, vnde erat digreſſa, reuertere. Mercurius has quoque transfigurationes refert in beluarum animas, quamuis quod ſpectat ad hominum animos conſentiat cum Cabaliſtis eos neutiquam poſſe induere ferarum corpora; *Animarum*, inquit in Pimandro, *permultæ fiunt mutationes partim in melius, feliciusq́, partim in contrarium; nam reptilium animæ in aquatilia tranſmutantur; aquatilium migrant in terreſtria; terrenorum in volatilia transferuntur; aereorum in homines conuertuntur: horùm verò animæ probæ in Dæmones tranſeunt, & ad extremum in Deorum chorum feliciter reuolantes ſanctiſſima, & beatiſsima gloria perfruuntur: animæ autem impiæ poſtquam per mortem à corporis carcere ſunt ſolutæ, in natura propria remanent, ac ſeipſas cruciant, corpus quærunt, quod ingrediantur terrenum, & humanum: Aliud quippe corpus quam humanũ animam non capit humanam, neque fas eſt in corpus animæ ratione carentis animam rationalem corruere: lex enim diuina generationem tam nefariam prohibet.* His aliquo pacto aſſentiuntur illi, qui Plutarcho lib. de orac. def. referente omnem reijcientes belluarum mutationem ſtatuuunt quatuor genera animarũ rationem habentium, primùm Deos, tum Dæmones, mox Heroes, poſtremò homines, ſcribuntque vt corporum, ita harum animarum mutuam eſſe mutationem; ſicut enim ex terra aqua, ex hac aer, ex aere ignis fieri cernitur, eodem modo animas meliores ex humanis in Heroicas, ex Heroibus in Dęmones mutari, ex Dęmonicis autem quaſdam paucas longo tempore virtutis ope prorſus purgatas diuinæ naturæ participes reddi: alijs vſuuenire, vt propter imbecillitatem ſeſe demittentes in humana corpora ingrediantur, vitamq; ob-

ſcuram,ac fulgoris expertem nanciſcantur. Veruntamen vero non ſum neſcius eſſe in hac re pugnantes Platonicorum ſententias, quas ſi placet ſummatim diſpiciamus. Etſi Academici vna mente affirment quamlibet animam non eſſe cuilibet corpori coniungendam, quippe, vt inquit Plato in Phædro, non poſſit anima in hominem venire, quæ ſit propria bruti forma,quę nunquam diuina perſpexerit (qua quidem in re diſſident ab Ægyptijs, & Mercurio) atque etiam conſentiant animam humanam ab hoc corpore concreto ſeparatam poſſe viciſſim in alios homines transformari, in eo tamen diſſentiunt, quia cùm Plato ſcribit in Phædone hominis animam in beſtias demitti, Olympiodorus ſic exponit, vt velit Platonem innuere animas impiorum poſt obitũ inter illa bruta diuerſari,quæ mores habent tales,quales ipſi homines ſcelerati vitam agentes exercuerunt, vt qui ventri dediti per inertiam,atque laſciuiam æuum traduxerunt,nec quicquã penſi,pudoriſq; habuerunt, cum aſinis, ſimilibuſq; beſtijs poſt mortem verſantur. Adiungit hoc Platoni eſſe maximè conſentaneum, quippe qui in Phædone cenſuerit animas puriſsimas in Deorum conſuetudinem ſeſe inſinuare,& animas prauorum circa monumenta, ſepulchraque verſari, quarum vmbris homines aliquando ſolent perterreri. Alij illius ſunt ſententiæ, vt putent Platonem ſenſiſſe imaginationes hominum flagitioſorũ ſic lædi,vt arbitrentur ſe in beſtias eſſe conuerſos. Sic Calabiſtæ vbi Daniel propheta inquit Babyloniæ regem ob grauiſsima ſcelera inter boues fuiſſe diuinitus tranſlatum, donec purgatus reſipiſceret, exponunt illius regis imaginatricem facultatem diuinitus fuiſſe labefactatam,vt imaginaretur ſe bouem eſſe factum, & ob id graui dolore afficeretur. Plotinus, Origenes, Harpocration,Boethus,atque Numenius interpretantur Platonem voluiſſe animam hominis re uera fieri aliquando animam belluæ. Idem tradit Euſebius lib. 13. de præparat. euangel. ſentit Theodoretus lib. 11. de curat. græc. affect. Tertulianus affirmat lib. de anima; & mihi ſit facile creditu

Am-

Ammonium Saccum in eandem opinionem iuiſſe, ſiquidem video à Plotino, & Origene celeberrimis illius auditoribus eam fuiſſe comprobatam: Sic enim ſcribit Plotinus initio libri de proprio cuiuſque Dæmone; *Proinde quod dicitur à Platone, anima omnis totius inanimati curam habet, in hac anima potiſſimùm habet locum, aliæ uerò ſe aliter habent. Per totum itaque cælum reuoluitur aliàs in alijs ſpeciebus, ſiue in ſenſuali ſpecie, ſiue rationali, ſiue etiam vegetali. Pars enim eius dominans conſentaneum ſibi peragit munus cætera uerò torpent, extra namque rellcta videntur. In homine autem non ſuperant, quæ deteriora ſunt, ſed ſimul exiſtunt, neque tamen quod melius eſt, ſuperat ſemper, nam hæc quoque locum in eo ſuum habent. Quamobrem & tanquam ſenſuales uiuunt, adſunt enim & inſtrumenta ſenſus. Multa quoque ab hominibus fiunt quaſi plantis, corpus ſiquidem ceu planta ab intrinſeco augetur, & gignitur. Quapropter omnia in agendo communicant, ſecundum uerò id, quod melius eſt, tota ſpecies homo cenſetur; Anima tandem è corpore migrans id ipſum, quo abundauit, euadit. Itaque ad ſuperiora confugiendum eſt, ne in ſenſualem ſpeciem delabamur, ſimulachris uidelicet ſenſibilibus obſequuti. Neue in vegetalem uitam præcipitemur mancipati libidine generandi, & irretiti ſuauitate ſaporum, ſed ad intellectuale, ad intellectum, ad Deum totis uiribus aſſurgendum. Quicunque igitur proprietatem ſeruauerunt humanam, homines iterum renaſcuntur: Quicunque verò ſolo uſi ſunt ſenſu, bruta animalia redeunt, ita tamen, ut qui ſenſu præcipuè unà cum ira, animalia fera exoriantur, atque in his differentia differentiam quoque talium afferat. Qui uerò ſenſu per concupiſcentiam, uoluptatemq; vſi ſunt, ſalacia, & ingluuioſa animalia reuertantur. Verùm ſi non tam ſenſu unà cum his, quàm ſenſus degeneratione uixerint, unà cum ipſi plantæ repullulant; Solùm namque uel maximè in his uiguit uegetale, omniſq; illis cura fuit, ut in plantas commutarentur. Proinde qui muſicis modulis nimiùm deliniti uixerunt, in cæteris non deprauati animalia muſica renaſcuntur. Et qui ſine ratione regnarunt, fiunt aquilæ, niſi prauitate alia ſint infecti. Qui abſque ſapientia confidentiùs ſublimia tractant, in cælum ſæpe ſuſpicientes mutantur in aues altiura ſem-*

per uolatu petentes. Qui ciuilem uirtutem conſequutus eſt, homo reuertitur: Sed qui ciuilem uirtutem haud ſatis eſt aſſequutus, in ciuile animal, ut in apem uel ſimilia ſe transformat. Hæc eſt Plotini opinio ex meris nugis compilata, cuius abſurditatem Porphyrius, & Iamblichus ex eo intellexerunt, quòd eſſe ratione præditum nequaquam eſt animæ accidens, quod modò accedere, & recedere ſoleat, ſed differentia in ipſius animæ ſubſtantia conſtanter permanens; quocirca fieri non poteſt, ut anima compos rationis in naturam brutam conuertatur, niſi concedas animali bruto hoc datum eſſe, ut rationem furto auferre queat. Porphyrius præterea circuitum animarum infinitum damnauit(quæ quoque fuit Cabaliſtarum opinio) ac animam certis temporum curriculis purgatam Deo ſemper hærere probauit nunquam ad huius uitæ miſerias redituram, quandoquidem in ipſa nunquam caderet beatitudo, ſi aut huc aliquando reuerſura ignoraret huc eſſe redituram, aut mala uentura pręuideret, quibus non poteſt euitare quin neceſſariò fiat obnoxia iterum facta incola huius vniuerſitatis. Porrò hi repudiata Plotini opinione ſanxerunt hominem non in brutum, uerùm in hominem brutalem, hoc eſt in hominem, cuius corpus ſit ſimile corpori brutali, reuiuiſcere. Non enim natura, ſed corporum forma transformatur, quemadmodum in ſcena qui perſonas tragicas ſuſcipiunt, ac modò huius, modò illius hominis perſonam gerũt. Cenſent igitur iſti animam in qualibet tranſmutatione propriam ſpeciem ſemper retinere, quippe quę principiũ motus habeat in ſeipſa, atq; intra ſeipſam agatur, ac proinde cũ dicimus animam eſſe omnia, & beſtiam fieri, hæc ita eſſe intelligenda, vt anima ſit omnia, & beſtia efficiatur, non quomodolibet, ſed modo ſpeciei propriæ cõſentaneo, & dũtaxat humano. Cũ his illud facit, quod prodidit Auicẽnas lib. de aïæ conditione poſt hunc uitæ diſceſſum, nempe Maumetem dixiſſe animalia ſuper terrã progredientia, & aues per aerem uolantes eſſe cuiuſdam copioſam hominibus ſimilem, atque in ipſius animæ natura cum his cõmunicantem: Et quod in fabuloſa

iſtius

iſtius lege poſitū eſt non priùs animarū humanarum in noua corpora tranſitum eſſe finē habiturum, quàm poſsit camelus per foramen acus penetrare; hoc eſt (vt nonnulli interpretātur) animā vitijs inquinatam non priùs ad quietem traduci, quàm per varia corpora iactata à camelo in eū vermem tranſierit, qui ob corporis tenuitatem, & paruitatem valeat per foramen acus penetrare. Proclus, & Syrianus proprium quiddam, ac nouum excogitarunt, ſiquidem animam rationis compotem non in animam bruti conuertunt, vt Plotinus, quòd abſurdum putent animam, quæ ratione ſit prædita, in id, quod ratione caret, traduci; neque etiam arbitrantur in hominem reſurgere, cuius corpus ſit ſimile corpori brutali, vt Porphyrius, & Iamblichus; ſed ſentiunt hominis animam in brutorum corpora ad tempus ſupplicii gratia tranſmiſſam per ſuam imaginationem illorum imaginationibus inſinuari eo planè modo, quo traditur à pleriſque Dęmones corpora humana ingredientes ſe hominum imaginationibus inſerere, eaſque mouere: atque ipſorum brutorum animæ alligari. Alij animaduertentes hanc animæ humanæ in varia corpora traſmigrationem ex ijs eſſe, quæ ſunt penitùs monſtroſa, quandoquidem in corpore belluæ non eſt apta præparatio ad eas functiones obeundas, quarum cauſſa, & principium eſt hominis forma, negarunt proſus animā rationis compotem ſic corpori ferino poſſe copulari, vt illius vitæ officia exequi valeat, communicare verò cum brutis aliquando exiſtimarunt in quadam vitæ ſimilitudine, iſtudque Platonem ſenſiſſe: in quam ſententiam ſcripſerunt quoque metempſichoſim Pythagoricam eſſe accipiendam, ſiquidem hac nihil aliud verè ſignificatur, quàm ſimiles mores, & ſimilia ſtudia, quæ in aliquo iam morte deleto extiterunt, in alio nunc vitam agente renaſci; ſicque olim dictum in Pythagora Euphorbum Troianum reuixiſſe, quòd quæ virtus bellica in hoc clarueat, ea in Pythagora quodammodò cerneretur ob amorem, quo athletas complectabatur. His ego libenter aſſentior, exiſtimoque migrationem animarum in

aliena corpora eſſe planè in Academia euitandam, cætero-quin Plato eſſet accuſandus, quòd hac in re ſecum ipſe prælietur. Enimuero ad Platonis ſententiam ſupra explicuimus animas hominum, cùm primùm vitam peregerint, iudicium ſubire, quo abſoluto alias in Tartarum demiſſas pœnas deli-ctorum perſoluere, quaſdam in beatorum inſulas delatas, vel in cœli regionem ſublatas agere pro illius vitæ meritis, quam olim inter homines victitarunt. Itaque ſi hæc ſunt à Platone multis in locis inculcata, nulla ratione credendum eſt Platonem in Phædone ex animi ſententia aſſeruiſſe eos, qui voluptatibus fœdè ſeruierint, poſt obitum aſinos fieri; qui verò iniurias, tyrannides, rapinasque adamarint, in lupos, accipitres, miluosque tranſire; & qui olim popularem ciuilemque virtutem, quam temperantiam, iuſtitiamque nominant, exercuerint, euadere in veſpas, apes, & formicas: hęc namque ſunt contraria, nec vllam inter ſe habent connexionem. Amplius Platonē hæc minimè promulgaſſe iuxta propriam opinionem ex eo datur cognoſci, quòd lib. 9. de legibus fabulam priſcorum ſacerdotum appellat iuſtitiam ſpeculatricem omnium, atque uindicem ad cognatum ſanguinē vlciſcendum hac lege vti; nempe illam conſtituiſſe, vt quiſquis cognatorum cædem perpetrauit, idem neceſſariò patiatur. Vt ſi quis patrem morti tradidit, ipſe poſtea certis temporibus uiolenter à filijs occidatur. Sin uerò matrem peremit; ipſe poſtea particeps naturæ muliebris effectus neceſſariò tandem à filijs ſuis interimatur. Ergo ſi Plato aſſerit hæc eſſe nugas Ægyptiorum ſacerdotum, exiſtimandum eſt illa quoque minimè dubitaſſe fabulas eſſe à Pythagoricis fictas, ut hoc modo homines deterrerent à uitijs, & ſceleribus edēdis. Hanc uerò fuiſſe Pythagorę ſententiam teſtis eſt Timęus Pythagoricus qui in lib. de Vniuerſo ſcribit migrationem in beſtias falsò induci ad terrorem incutiendum hominibus impijs: Illius hæc ſunt uerba; *Peruerſis, & ijs, qui in ipſis vitijs ſunt ob peccandi conſuetudinem obfirmati, legibus decernenda ſunt inaudita ſupplicia, perficiendumq́, vt metu alterius vitæ, & ſuppliciorum,*

dorum, quæ in ea vitari nullo modo poſſunt, ad virtutem reſipiſcãt. Vt enim ægris aliquando valetudinem reſtituimus cibo inſalubri, aut medicamento, cùm remedia ſalutaria primùm admota parùm profuerint, ſic fabulis aliquando animos reprimimus, & in officio continemus, qui niſi rectis monitis pareant, exiſtimo nouas, & inaud itas pœnas eſſe proponendas, aut improborum animas diuerſa corpora aſſumere pro varijs uitijs vitæ anteactæ: Animam timidi ingredi in corpus fœminæ; iniuſti autem, & crudelis ferarum; libidinoſi ſuis; leuis, & ſuperbi auis; otioſi & negligentis piſcis. Ex his Timæi manifeſtiſſimè deprædhendi poteſt, quæ fuerit Platonis aſſertio de hac animarum translatione in ferarum corpora, quandoquidem certum eſt huiuſce viri doctrinam à Platone fuiſſe excultam, & amplexatam. Neque illud dubitationem faciat, quod in Phædro ſcriptum à Platone adducitur à Plotino, omnem ſcilicet animam totius inanimati curationem ſuſtinere: Non enim Plato vult his ſignificare omnem animam ſibi poſſe quæque corpora comparare, quibus ſeſe inſinuet: ſed hæc in eam ſententiam ſunt accipienda, vt ſentiat Plato animam ab hoc craſſo, concretoque corpore ſolutam, & in cœlis habitantem, ſimul cum ſtellis huic mundo prouidere, atque hac ratione totius inanimati curam obtinere. Atqui hactenus de hac quæſtione, de qua doctè, & eruditè Æneas Gazæus philoſophus platonicus, lib. cui titulus eſt Theophraſtus; Ficinus, & alij diſſeruerunt.

Quæ hominibus probis contingunt aduerſa momenti nihil habent ad prouidentiam euertendam.

Cap. XXVI.

QVÆ hominibus multa probitate conſpicuis cõtingunt aduerſa ſiue in corpore, ſiue in fortunis, ea ſi accuratè expendantur, momenti nihil habent, immo illorum probitati ſunt valdè conſentanea, quippe quæ ipſos exerceant, & animi patientię vſu in virtutibus confirment, à quibus forſitan longa felicitate

luxuriantes poſſent recedere, atque vitijs oppoſitis adhærere. Itaque Seneca lib. de prouidentia nos commonefacit, vt fugiamus delitias, & eneruatam felicitatem, qua animi marceſcunt, ac veluti perpetua ebrietate ſopiuntur; aſſeueratq; calamitatem eſſe virtutis occaſionem, illosque rectiùs dici miſeros, qui nimia felicitate torpeſcunt, quique tanquam in mari lento itineris tranquillitate detinentur. Deus enim quos amat, quos probat, indurat, recognoſcit, exercet, ac dignos iudicat, in quibus experiatur, quantum humana natura poſſit pati: quibus autem videtur indulgere, quibus parcere, molles venturis malis aſſeruat, quæ nullo modo poſſunt ab ipſis præcaueri. Hic accedit, quòd cùm homines non ea mentis integritate polleant, qua bonos à malis, & probos ab improbis facilè dignoſcere valeant, ſed ſæpe probi ſint, quos improbos, & contrà ſæpe improbi, quos probos exiſtimant; ac præterea neque recta mentis acie à malis bona, aut à bonis mala diſcernant, vt ſæpe bona ſint, quæ mala; & mala ſæpenumero ſint, quæ bona eſſe iudicant, hinc ſequitur eos vt plurimùm labi per errorem, nec veram de ijs, quæ iudicant, promere ſententiam. Oportet enim hæc omnia in primis homines habere perſpecta, & tunc denique ſi bona bonis, & mala malis non adueniant, ſed contrà bona malis, & mala bonis contingant, dubitare, cur à diuina prouidentia res præposterè diſponantur. Neque credendum eſt, tùm demum homines eſſe vitioſos, cùm vitia exercent; hæc enim ſtulta eſt opinio, quoniàm non ſimul & fit malus aliquis, & malus eſſe cernitur, ſed iam inde ab incunabulis prauus, vt ipſi occaſio data eſt ad aliquod ſcelus perficiendum, ſtatim illud admittit, furaturque iam fur ab initio, & leges violat tyrannicæ indolis homo. Itaque Deus non ignorans cuiuſque ingenium, & naturam ſæpe punit ad adulterium, auaritiam, vel iniuriam faciendam procliuem vitium anteuertens priuſquam erumpat. Verùm de hac re Syneſium audiamus, qui in lib. de inſomnijs ſic diuinè loquitur: *Quapropter hìc, & illic punitiones ordini rerum maximum afferunt adiumentum, triſtitiam*

contrà

contra inducentes, & à temerario gaudio animum expurgantes. Et calamitates, quæ præter merita dicuntur incidere, magnam partẽ conferunt ad extirpandum habitum, quem ad hæc, quæ hìc ſunt, habemus. Fortunis certè eiuſmodi apud eos, qui mentem habent, prouidentia confirmatur, quibus, qui mente capti ſunt, diffidere de prouidentia ſolent. Nullus enim relinquitur animæ locus, quo materiam fugiat, ſi in nullum hìc malum inciderit. Quapropter exiſtimãdum eſt inferioris prouinciæ præſides vulgares adinueniſſe proſperitates tanquam animis inſidias paraturas. Itaque hinc emigrantibus animabus obliuioſum contingere potum alius dixerit, cùm tamen ſors quædam vitæ ſuauis, & blanda potum afferat obliuionis animæ vitam hanc ingredienti. Hæc iſte; quibus ea libet adſcribere, quæ recitantur à Boethio lib. 2. de conſ. philoſoph. *Sed ne me inexorabile contra fortunam bellum gerere putes, eſt aliquando cùm de hominibus illa fallax non nihil benè mereatur, tum ſcilicet cùm ſe aperit, cùm frontem detegit, moreſq; profitetur: Nondum fortè quid loquar intelligis. Mirum eſt, quod dicere geſtio, eoq; ſententiam verbis explicare vix queo. Etenim plus reor hominibus aduerſam, quàm proſperam prodeſſe fortunam. Illa enim ſemper ſpecie felicitatis (cùm videtur blanda) mentitur; hæc ſemper vera eſt, cùm ſe inſtabilem mutatione demonſtrat; illa fallit, hæc inſtruit; illa mendacium ſpecie bonorum mentes fruentium ligat, hæc cognitione fragilis felicitatis abſoluit. Itaque illam videas ventoſam. fluentem, ſuiq; ſemper ignaram, hanc ſobriam, ſuccinctamq;, & ipſius aduerſitatis exercitatione prudentem: Poſtremò felix à vero bono deuios blanditijs trahit, aduerſa plerunque ad vera bona reducens veluti vnco retrahit. An hoc inter minima æſtimandum putas, quòd amicorum tibi fidelium mentes hæc aſpera, hæc horrida fortuna detexit? Hæc tibi certos ſodalium vultus, ambiguoſq; ſecreuit; diſcedens ſuos abſtulit, tuos reliquit. Quanti hoc integer, & (vt videbaris tibi) fortunatus emiſſes? Deſine nunc amiſſas opes quærere, quod precioſiſſimum genus diuitiarum eſt, amicos inueniſti.* Nec verò illi multùm ſapere videntur, qui cùm pueros aliquos videant morbo affectos in lucem venire, accuſant prouidentiam, quòd iſtos morbo tentari permiſerit, qui nullum pecca-

 tum

tum commiſerunt: Enimuero prouidentię lex non in eas ſo lùm, quæ ante pedes ſunt, res animaduertit, verùm etiam in eas, quæ longo pòſt tempore venturæ ſunt, proſpicit, tum quæ quibuſque conuenientia ſunt, atque digna, ea vt eueniant, decernit. Hic igitur, quia decepturus, & adulaturus erat, capite, in quo eſt animæ ſedes, læſus, atque ictus eſt, ſic vt ratio ipſum defecerit, ipſeque ſtolidus, atque imprudens euaſerit. Ille ſi ſuorum habuiſſet vſum oculorum, nec certè libidine, & intemperantiâ caruiſſet, quare cæcus eſt editus lynceo ipſo felicior, quando ſimul etiam iuſtior euaſit. Alij rurſus, cùm ad cædem futurus eſſet procliuis, dextera contabuit, eoque factum eſt, vti ſibi tranquillè potiùs, pacatèque viuendum putet. Sic denique omnia curantur à prouidentia, & ad morbos diuerſos varia medicamenta proferuntur. Nec verò iniquum eſt alium, vt primùm natus eſt, vita priuari, & alium hac ipſa frui vſque ad vltimam ſenectutem, ſiquidem credendum eſt prouidentiam vtilitatis noſtræ habita ratione diuerſos vitæ noſtræ terminos conſtituiſſe. Neque oportuit ijſdem terminis definitum vitæ tempus omnibus impartiri, quando hoc dato eo res delaberetur, vt homines multò minus pudicè vitam agerent, ac continentiam uſque in ætatem vltimam differrent; quique dum florerent ætate, rebus alienis frui conſueuiſſent, iam ſenes facti vix dum iuſtitiam ſeruarent. Ac ſi iam impudicitiam, atque auaritiam adeo facilè homines perſequuntur, cùm neſciant, an uſque ad ſenectam ultimam ſint peruenturi, quid ſi certè ſcirent facturos putes? Et ne quis liberorum ſuorum gratia pecunijs coaceruandis nimium ſtuderet, diuinitus introducta lex eſt, ut filij priùs quandoque intereant, quàm hæreditatem adire poſsint. Nemini igitur mirum uideri debet, ſi uitæ humanæ accidunt innumera huius generis incommoda, hæc namque citra aliquam cauſſam minimè eueniunt.

Cur bo-

Cur hominum animæ in caduca corpora demittantur. Cap. XXVII.

DVBITABIS ſi lege prouidentiæ ſancitum eſt, vt quicquid mali accidit vniuerſo, in bonum commutetur, quid eſt, cur animæ hominum immortales, quæ apud ſuperos uitam degunt beatiſsimam, uigentque in aperta rerum omnium cognitione, inde in hæc caduca corpora fatali quadam neceſsitate demittantur, quorum contagione rerum omnium fiunt ignaræ, multis incommodis afficiuntur, atque in uita amariſsima commorantur. In huius rei explicatione uaria à uarijs afferuntur. Veteres Theologi explicantes quid oportuerit hominem in mundo conſtitui, & non ea parte, qua Deus eſt, eum in ſumma beatitudine degere, inquiunt, quòd Deus cùm mundum aſpectabilem condidiſſet, atque hic uiſus eſſet ipſi pulcherrimus, ut pote qui ſit omnium bonitate pleniſsimus, amauit eum, ut diuinitatis ſuæ partem; ergo quòd tantus, & tam bonus eſſet, uoluit alium, qui mundum potuiſſet intueri, ſimulque creauit hominem Dei rationis, & diligentiæ imitatorem: Voluntas etenim Dei ipſa ſumma eſt perfectio, ut pote cùm uoluiſſe, & perfeciſſe uno, eodemque temporis puncto compleatur. Cùm itaque animam humanam diuinæ ſimilitudinis formam Deus animaduerteret nõ poſſe omnium rerum curatricem eſſe, niſi eam mundano integumento contegeret, dedit illi corpoream domum, taleſque omnes eſſe præcepit, utramque naturam in unum confundens, miſcenſque quantum ſatis eſſe debuiſſet. Itaque hominem conformauit ex animo, & corpore, id eſt ex æterna, mortalique natura, ut animal ita conformatum utrique origini ſuæ ſatisfacere poſsit, & mirari, atque orare cœleſtia, ac æterna; & incolere, ac gubernare terrena. Credidit Empedocles eſſe legem apud ſuperos conſtitutã, qua animę, quæ peccauerunt, ad hæc noſtra corruere compellũtur, in quibus ve-

luti in

luti in antro alligatæ doloribus,cupiditatibus,timoribus,cæteriſq; malis opprimũtur,& pro his,quæ fecerũt,meritas pœnas dicuntur reportare. Cui opinioni ſimile eſt illud Philolai Pythagorici dictũ, ob quædam ſupplicia animam corpori eſſe coniugatam,& quaſi conſepultã.Idem quoq; ſignificauit Anticles,cùm dixit animum in ſuperiore mundo honorãdũ ante corpus extitiſſe,eundem uerò poſt peccatum in inferiorem mundum decidiſſe, in quo ſuo pudore, ac verecundia à Deo ueniam poſtea conſequatur. Statuit Heraclitus eſſe laboris immodici apud ſuperos uitam propagare, & cum Dijs habere commercium, eorumque imperio ſubijci,atque ideo animam quietis, & ocij deſiderio;ac libertatis,& dominationis cupiditate excitatam à ſuperis in terras deſcendere. Platonici aliter ſcribunt, & ſentiunt, quorum opinionem ut faciliùs intelligamus, libet nonnulla longè petita proponere. Animę ſimul ac primùm ex Mente manarunt, innato quodã impulſu concitatæ ad Mentem conuertuntur, cuius lucem aſpicientes lumine colluſtrantur, ac rerum omnium rationibus exornantur. Lumen iſtud, ut animabus proprium, & naturale efficiatur, paululùm obſcurari, propriæque dignitatis iacturam facere eſt neceſſe,quæ deinde huius auxilio undiq; ſibi ſimilis, & æqualis reddit ſeipſas, & quæ habent infra ſe cognitione compræhendunt, Deum uerò, & ſuperiora nequeunt attingere. Cæterùm Menti proximiores factæ alterum lumen multò ſplendidius accipiunt, quo Mentem, ac Deum queunt cognoſcere.Hoc lumen infuſum, ac diuinum appellant; illud ingenitum, & naturale, quibus vnà iunctis ceu duabus alis animæ per ſublimem regionem uolitare putantur. Porrò cùm hac conditione animæ ſint procreatæ, ut ſui ipſius ſint dominæ, poſſintque ad arbitrium propria munera peragere, & ſimul utroque lumine uti, atque altero tantùm, hinc fit, ut diuino lumine poſthabito, quo ſemper diuinis hærebant, alterum conſeruent, & natura duce illius munera promant. Itaque cùm hoc lumine naturali ſeipſas, ac vires ſuas ad corporis fabricam ſpectantes contemplentur,

amor

amor quidam in eis excitatur, quo cupiunt harum virium officia in corporibus effundere; Non quòd generandi, & cæterarum facultatum munera contemplationi anteponant, ſed quoniam contemplatio euaneſcit, dum regendi corporis cupiditas inualeſcit. Hac igitur accenſæ cupiditate primùm vitæ futuræ optionem faciunt, & quàmuis ſemel electæ uitæ periodum impleri ſit neceſſe, nulla tamen vi coguntur, ſed ſua ſponte uitam, quam præcipuè colant, eligere dicuntur. Poſt electionem Dæmonem ſortiuntur, à quo gubernantur, & in curſu uitæ electæ diriguntur; Poſtremò ad hæc impura corpora deſcendunt, & in eis nutriendi, augendi, gignendi, ſentiendi, & mouendi functiones exercent, ſuaque præſentia terram infimam mundi partem exornant. Scitum eſt igitur illud Porphyrij lib. 1. de abſtin. ab animalibus animam ad inferiora labi, quando ipſa ueluti ager deprauatur, ut quæ multis annis produxit triticum, reddat denique pro tritico lolium, id eſt, ſolita luminis diuini fructus uberiores edere, iam proferat fruges luminis naturalis deteriores. Porrò cùm Platonici, & Perſarum Magi fieri non poſſe animaduerterēt, vt ea, quæ inter ſe multùm diſtant, ſine ullius idonei medij interiectu ineant commodam ſocietatem, animas cenſuerũt priuſquàm in hoc denſum, concretùmque corpus immigrarent, corpore quodam illuſtri, & immortali tanquam ſimplici ueſte indui, cum quo à ſummo rerum opifice condito illas tradiderunt in mundo ſuperiori rebus, quæ mente, & intelligentia percipiuntur, operam dare, & uniuerſum adminiſtrare. Corpus hoc apud Platonicos, & Magos multas habuit appellationes, ſiquidem primum animæ uehiculum fuit aliquando nuncupatum, quòd eo anima primùm cingitur; modò eternum, & immortale animæ indumentum, quia ab anima nunquam abſolui, diuellique poteſt; interdum corpuſculum æthereum, quia omnis illius coagmentatio conſtat ex æthere. Atque hinc effectum eſt, ut Magi illud ob figuram ætheris globoſam forma rotunda figurarint, quam deponere conſcripſerunt anima ſeſe in corpus humanum inſinuante,

& rurſus

& rurſus recuperare anima ab hoc corpore ſeſe uindicante. Zoroaſtres πνύμα, hoc eſt, ſpiritum appellauit, quoniam ſummam habet tenuitatem,& integerrimam puritatem. Plato animæ currum in Phædro nominauit, quòd ferat animam in mundo æthereo uitam agentem,& aſtrorum circuitus cer tis, ſtatutisque periodis conſectantem. Ab hoc corpore alterum Academici excogitarunt à Dijs ſecundis ex aere com poni,& animis aptari, idque aereum, uel ſpirituoſum uocan tes dixerunt nõ perpetuò, uerùm ad tempus animis annecti, quippe quę illud induant corpus mortale ex pluribus elemẽ tis concretum ſubiturę,exuant in æthercam regionem reuer ſuræ. Iam uerò animæ hiſce duobus uehiculis ſtipatæ terrarum fiunt incolæ,& tetrum hoc,mortaleque corpus aſſumũt, quo tandem diſſoluto alacres,& liberæ in patriam reuertuntur, municipesque fiunt, & ciues Deorum. Corpus iſtud quã doque quaſi uehiculum animæ, & quandoque vehiculum oſtreaceum fuit à Platone nominatum. Placuit Plotino illud dicere animæ ſepulchrum, in quo anima conditur, ſic ut ſui oblita plerunque fato obruatur, & in ambiguitate poſita, cu riſque ſolicita,& quaſi eneruata in intelligendo uehementer hebeſcat, egeatque rationis diſcurſu,quo uitam queat propagare,& ueritatem indagare. Etenim animæ in mundo ſuperiore, & antequam in hoc corpus deſcendant, quia ſua natura ſimplices ſunt, nec in ſe quicquam habent, in quo unum prius ſit, alterum poſterius, nec ab uno ad aliud progrediuntur; neque ullo utuntur rationali diſcurſu, ſed hic tum primùm illis contingit, cùm corpus hoc ingrediuntur ex quodam proprię ipſarum naturæ detrimento. In hoc autem corpore breuis eſt animarum habitatio, ut citiùs depoſita ſarcina ad diuina,& meliora proficiſcantur. Nec eſt à ratione diſſentaneum animas cum his corporibus copulari, tum quia diuina prouidentia decretum eſt, ut mundus hic latiſſimè patens, & perfectè conformatus ſit compos intellectus; cuius particeps eſſe minimè potuit, niſi in ipſo animus antecederet: tum etiam quia anima in huius mundi procellis agitata

in bòni,

in boni, maliqúe notitiam deducitur, quare ad ſuperos reuerſa iucundiori uoluptate afficitur, multoque beatior redditur. Enimuero ſi quiſpiam ſemper ſit corpore ſanus, quanti ſit facienda bona corporis ualetudo prorſus ignorabit; at ſi contingat, ut quandoque in morbum incidat, & aduerſa vtatur ualetudine, morbo profligato mira quædam illi accedet delectatio in ſanitate perfruenda. Præterea deſcenſus animi in corpus humanum diuina prouidentia eſt inſtitutus, ut per hominem extrema in medio vinciantur, id eſt, natura incorpörea, & diuina cum corporea, & caduca, quoad poteſt, ineat coitionem. Itaque nonnulli dixerunt hominem eſſe quodammodò omnia, & rerum cęterarum regulam, quòd omnium eorum, quæ ſunt, duas extremas differentias complectatur, per quas de cæteris facilè poteſt iudicium ferri. His illud plerique adiungunt, quòd ſi anima apud ſuperos uitam ſempiternam traduceret, uires ipſius inferiores in habitū perpetuò conquieſcerent, nec unquam in actum prodirent, quocirca fruſtra forent à Deo animæ tributæ, nec prætera ſatis illi exploratæ; ergo ſumma neceſſitate anima ſeſe induit in hoc corpus, in quo omnes eius facultates ſua opera, & effectiones cernuntur explicare; & quæ, qualeſúe ſint, & quo modo in actum procedant declarare. Quòd ſi quis ambigat, ſi uires inferiores ſunt in anima apud ſuperos uiuente veluti ſomno conſopitæ, cur tritum eſt apud Platonicos ſolam rationalem primum opificem procreaſſe, ac proinde immortalem eſſe, reliquas uerò Deos minores produxiſſe, atque iccirco mortalitate contineri? Huic dubitationi ad hunc modum occurunt. Dij minores uirium inferiorum autores eſſe dicuntur, quoniam ſunt corporis formatores, ex cuius cum anima copulatione foris dantur harum uirium effectiones; nam cùm huiuſmodi facultates certa organa deſiderent in ſuis officijs exequendis, ſine corporis miniſterio nequeūt ſua munia obire: quocirca in anima putantur enaſci, cùm primùm illa corpori coniungitur, & emori eadem corpus deponente, mortaleſque hac de cauſſa à Platonicis nuncupantur,

tur, cùm tamen ſint æternæ, rationali ſemper annexæ, neque re ipſa ab illa diſiunctæ. Hæc explicatio tametſi probetur Ficino lib. 18. Theologiæ cap. 3. ea tamen ſi ad omnes animæ partes accommodetur, mihi ualdè uidetur dubia, quãdoquidem Plato nimis planè ſentit in Timæo ſolam animam, qua ratiocinamur, & intelligimus, à Deo opifice originem habere, reliquas autem animæ partes à Dijs minoribus; quod Plutarchus, Proclus, Alcinous, Chalcidius, & alij compertum habentes in eandem prorſus ſententiam verba Platonis ſunt interpretati, quæ ſunt. *Et diuinorum quidem ipſe eſt autor, mortalium verò generationem natis ſuis tradidit abſoluendam. Illi igitur ſuum imitati parentem, principiumq́; animæ immortale ſuſcipientes animam ipſam mortali corpore clauſerunt, totumq́; corpus animæ, quaſi vehiculum ſubdidere, atque in eo aliam animæ ſpeciem mortalem fabricauerunt, quæ grauibus; neceſſarijsq́; perturbationibus afficeretur: Quarum prima foret voluptas eſca maximi mali; Dolor deinde fuga, impedimentumq́; bonorum; Audacia præterea, metusq́; conſultores amentes: accederet & implacabilis iracundia, ſpes etiam blanda, conciliatrixq́; cum irrationali ſenſu, amoreq́; omnium inuaſore: Illi ergo hæc miſcentes neceſſariò mortale genus compoſuerunt. Cæterùm ne diuinum vlla mortalium contagione, niſi quãtum ſumma neceſſitas cogeret, pollueretur, ſeorſum ab illo in alia corporis ſede mortale collocauerunt: atque à pectore caput ceruice, & collo interiecto ſeparauere. Quamobrem in pectore, & thorace mortale genus animæ poſuerunt.* Ex his manifeſtè perſpicitur Platonem opinari ſolam rationalem animæ partem eſſe diuinam, reliquas autem immortalitatis expertes; ac præterea exiſtimare animam eſſe ſubſtantia multiplicem, ſed non ſubſtantia vnam, & facultate multiplicem, vt Ficinus multis in locis conatur perſuadere. Porrò ſi quis putet rationem poſteriorem, qua fuit confectum animos in hæc corpora delabi, non eſſe improbandam ad propoſitam dubitationem dici poteſt Platonem; & Platonicos animam humanam in tres partes diuidere, in rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem, atq; hoc vnum velle optimatem, & rationis compotem Deum opifi-

opificem condidiſſe, reliquas verò, quæ mortalitate continẽtur, Deos minores adieciſſe. Itaque cùm Platonici in partitione, & enumeratione partium animæ vegetalem, & ſenſualem minimè comprehendant, neque nomine iracundiæ, & cupiditatis has facultates ſignificent, nõ eſt dicendum ipſos ſentire eas interire à Dijs minoribus extructas, nam hæ quoque immortales ſunt, quippe quæ ad rationalem reuocãtur, à qua re, & ſubſtantia non diuelluntur. His, & alijs de cauſſis quas nihil eſt opus in præſentia commemorare, ſentit autor ſecretioris ſecundum Ægyptios philoſophiæ, & tentur Platonici animas ad inferiora delabi, & terrenis corporibus coniungi, à quibus aiunt ipſas poſſe ſeparari, ſi contemplandi deſiderio inflammatæ hæc, quæ ſenſibus percipiuntur, cõtemnant, ab illiſque ad diuinorum operum rationes, & cauſſas ſe conuertant, atque in eiſdem Deum autorem ſpeculentur, & colant, nam in huiuſmodi contemplatione animus à corpore abducitur, & quaſi Deus quidam in caduco corpore efficitur. De hac animi à corpore auerſione, atque ad intelligibilia, & ad cõtẽplationem conuerſione quoniam nobilis locus extat apud Porphyrium lib. 1. de abſt. ab eſu carnium, hic nequaquam tacitus eſt mihi relinquendus. *Similes ſumus*, inquit, *hominibus, qui in externas nationes profecti non ſolùm domeſticis omnibus exturbati ſunt, verùm etiam à regione externa pturbationibus, consuetudinibus, et inſtitutis peregrinis ita fuerunt imbuti, vt ad ea propenſi admodum ſint. Quemadmodum igitur ſi quis inde domum redire vellet, non modò iter facere ſtuderet, sed quò à suis admitteretur, daret operam quoque, vt deponeret quicquid ab externis accepiſſet, eaq; ſibi in memoriam reuocaret, quæ cùm antea haberet, fuerat oblitus, ſine quibus admitti à domeſticis nullo modo poſſet. Simili modo etiam nos debemus, ſi hinc ad ea, quæ verè nobis domeſtica, ac propria ſunt, reuersuri sumus, ea omnia deponere, quæ ex mortali natura contraximus, vnà cum affectu, quo ea proſequimur, ex quo etiam effecta diſſenſio fuerat; beatæq;, & æternæ ſubſtantiæ recordari; ac ſumma ope niti, vt ad ea, quæ colore, & omni qualitate carent, redeamus duabus vſi me-*

ditationibus, vna, qua materiale omne, ac mortale abijciamus, altera, qua reditum faciamus, & ad illa contrario modo aſcendamus, quàm ad hæc deſcenderamus. Intellectuales enim ſubſtantiæ eramus, & adhuc ſumus, puræ ab omni ſenſu, & irrationali natura. Coniuncti uerò cum ſenſu fuimus ex impotentia æterna noſtræ conſuetudinis cum intelligibili, & ex ea potentia, quam ad ea, quæ hìc ſunt, habebamus. Omnes enim, quæ cum ſenſu, & corpore operantur, facultates in anima noſtra in intelligibili non manente progerminarunt, non ſecus atque ex prauitate terræ accidit, quæ ſæpe cùm tritici ſemen admiſerit, lolium producit. Vnde ſi ad priſtinum ſtatum redire uelimus, primùm pro uiribus ſtudendum nobis eſt, ut à ſenſu, & imaginatione, & ab ea, quæ ex his conſequitur, irrationabili qualitate, & ipſius affectibus, quatenus generationis neceſſitas patitur, recedamus. Deinde corrigenda ea ſunt, quæ ſpectant ad intellectum, pace, & quiete ipſi conciliata ex bello, quod cum irrationali natura habet. Vt non ſolùm de intellectu, & intelligibili audiamus, ſed etiam quantum in nobis eſt, eius contemplatione fruentes, & in incorpoream naturam redacti uerè cum illo, & non falsò cum his, quæ corporibus cognata ſunt, uitam traducamus. Exuendi igitur multis tunicis ſumus, uiſibili hac, & carnali, tum illis, quibus intrinſecùs induti fuimus, quæ cutaneis, ac pelliceis proximè ſuccedunt: ut ita expediti, ac nudi ingredi ſtadium ualeamus olympia animæ decertaturi. Et paucis interpoſitis ſubiungit hæc. *Duo fontes hìc ad uinculum animæ fluunt, ex quibus ipſa quaſi letali potione repleta in propriarum contemplationum obliuionem inducitur, uoluptas uidelicet, & dolor: quos quidem tum ſenſus, quæq; ſenſu fit perceptio, tum quæ ſenſum conſequuntur imaginationes, et opiniones & memoriæ præparant: ex quibus excitati affectus, omniſq; irrationalis vis craſſior effecta animam deorſum trahunt, & à proprio amore erga id, quod eſt, prorſus auertunt. Ab his igitur pro viribus recedendum eſt. Receſſio autem affectibus, qui ex ſenſibus, & irrationali ui exiſtunt, excluſis procuranda eſt. Senſus autem ex ijs fiunt, quæ uel uidentur, uel audiuntur, uel quæ guſtatu, aut olfactu, aut tactu percipiuntur. Senſus enim quaſi metropolis quædam alienigenæ affectuũ coloniæ in nobis exiſtit. Ecce enim, per ſingulos*

gulos ſenſus inſpice, quantum perturbationum fomentum in nos influat: partim ex certaminis equorum, & athletarum, aut laſciuarũ ſaltationum ſpectatione; partim ex fœminæ contemplatione; quæ eſcam irrationali facultati exhibentes eam uarijs inieЀtis laqueis vndequaque inuadunt, ac ſubiugant. Omnibus enim his ob rationis expertem vim debacchans anima facit, vt exiliant, ut clament, ut vociferentur homines, dum externa turbatio inflammatur ab interna, quam ſenſus incenderat. Quæ uerò per auditum accidunt ex quibusdam clamoribus, & ſonis turpiloquij, & conuicij adeo turbulentæ agitationes ſunt, ut plerique quaſi penitùs è ratione exceſſerint, furentes ferantur: alij contrà effœminati omnibus modis immutentur. Suffimentorum autem uſus, aut odorati flatus, qui amores ſui amatoribus uenditant, quantum irrationalem in anima uim ſaginent, nemo eſt, qui neſciat. Nam de turbationibus, quæ guſtatu admittuntur, quid dicere quiſpiam poſſet? præſertim cùm inde duplex uinculum innectatur, alterum, quod ex guſtatione ab affectibus impinguatur: alterum, quod ex alienorum corporum repletione graue, ac ualidum redditur. Venena enim, ut quidam medicus dixit, non ſola ea ſunt, quæ à medicina conficiuntur: ſed eſculenta etiam, & potulenta, quæ quotidie in alimentum ſumi conſueuerunt: ex quibus letifera vis magis in animam diffunditur, quàm ex uenenis pernicies ad diſſolutionem corporis inferatur. Iam uerò tactus animam ferè corpoream reddentes ſæpe efficiunt, ut in inarticulatos ſonos quaſi iam corpus euadat. Ex quibus quidem omnibus memoriæ, imaginationes, & opiniones collectæ innumero perturbationum grege concitato, timorum, cupiditatum, irarum, amorum, illecebrarum, dolorum, æmulationum, ſolicitudinum, atque huiuſmodi perturbationum morbis animam replent. Atque iccirco ab his expurgari difficile eſt, magnusq́; admodum labor eſt ſuſcipiendus, ſi ab horum meditatione uolumus liberari, cùm die, noctuq́; neceſſaria nos ſenſuum coniunctio ubique comitetur. Unde quanta in nobis facultas eſt, procul ab huiuſcemodi locis eſt abeundum, in quibus etiam inuitus in multitudinem incidat, neceſſe eſt. Cauendaq́; in primis pugna, quæ ex horum experientia exoritur, & ſi uis, etiam victoria: amplectendaq́; inexercitatio, quæ ab inexperientia exiſtit. Sic etenim

audimus ueterum famam ante uirorum, Pythagoreorum, & ſapientum: quorum alij deſerta maximè loca ſibi ad habitandum deligebant: alij in vrbibus quidem, ſed in templis tamen, & fanis uitam traducebant, ad quæ turbæ omnis aditus præcludebatur. Plato uerò habitare Academiam uoluit, quæ præterquàm quòd loco erat deſerto, & procul ab vrbe, parùm etiam ſalubris, ut aiunt, habebatur. Quin nonnullos quoque fuiſſe conſtat, qui deſiderio internæ contemplationis, ne diſtraherentur, oculis ſibi non pepercerunt. Quòd ſi quis ſimul cum hominibus uerſando, ac ſenſus ſuis affectionibus explendo, ſe futurum eſſe impatibilem putat, is & ſe, & alios, quibus id perſuaſerit, decipit; neque aduertit ſe eo ipſo, quòd à multitudine nõ alienatur, maximè in affectuum poteſtatem ceſſiſſe. Hæc omnia Porphyrius, ex quibus planè intelligitur corporis, ac ſenſuũ voluptatem eſſe hominibus peſtem maximè capitalem, quippe cuius pernicioſa ſuauitate nos nimiũ deliniti auertimur à rerum intelligibilium contemplatione, ob quam animus à corpore quodammodò diſiungitur, atque ad cœleſtia, & domeſtica reuertitur. Ex his omnibus illud non eſt difficile animo complecti, quod à Porphyrio proditum in com. Odyſ. in ore omnium ferè Platonicorum uerſatur, animas ſcilicet per Cancrum deſcendere in generationem, & ad ſuperiora per Capricornum aſcendere. Enimuero iſtud, quod multis fuit à nobis in præſentia expoſitum, perſpicuè ſignificatur, quando quidem Cancer creditur Lunæ domicilium generationi præſidentis, & in Capricorno ſedes Saturni collocatur, ad quem pertinet contemplatio, cuius beneficio anima, vt dictum eſt, à corpore ſeiungitur, & cęleſtibus ſedibus aliquo modo reſtituitur. Hæc quoque Zoroaſtrem arbitror ſignificaſſe, cùm animam eſſe alatam comminiſceretur, & confractis alis labi in corpus præcipitem, & rurſus plumeſcentem, denuoque in uolucrem conuerſam ſuperna repetere.

Prouidetia

Prouidentia minimè prohibet, quin ſingula ſuas perficiant operationes. Cap. XXVIII.

DE his quidem hactenus dictum ſit. Regrediendum uerò eſt iam unde digreſſi ſumus de prouidentia differentes. Illud cauendum eſt, ne quis in mundo ita ſtatuat prouidentiam, ut à rebus actiones propriæ auferantur. Iamdiu enim ex hominum animis extirpata eſt illorum opinatio, qui licèt prouidentiæ omnia rectè tribuant, falſi tamen ſunt nihil nō fato fieri quoque opinantes, & peculiares rerum ſingularium effectiones deſtruentes. Iſti eam eſſe naturam fati protulerunt, ut ipſius iuſſis omnia neceſſariò obtemperent, quandoquidem ſit cauſſa potentiſſima, per quam ineuitabili neceſſitate fiunt ea, quæ fiunt, & eo modo, quo fiunt. Verùm ex hac opinione plurima errata ſcaturiunt: Primùm nulla eſſet dignitas mundi, ſi ex partibus ſua ui nihil omnino agentibus, ſed ſolummodò patientibus tantùm coaceruaretur. Deinde nec Deus rectè primum agens diceretur, ſi nullæ poſt ipſum eſſent cauſſæ efficientes. Adhæc rerum contingentiæ euerterentur; omnes laudes, vituperationes, & quæ his proxima ſunt, tollerentur; vis liberæ uoluntatis in officijs, in delictis, in actionibus moralibus, & politicis deſtrueretur; & denique electio in uitijs, & uirtutibus diuino munere nobis data labefactaretur. Sed hæc pluribus non ſunt à nobis vituperanda; quòd aduerſus ea diſputat Plotinus lib. de Fato, & ab Alexandro Aphrodiſienſi multa doctè & eruditè, ut aſſolet, lib. de Fato differuntur, quæ omnia ab Oenomao; & Diogeniano Philoſophis clariſſimis contra Chryſippum diſputantibus fuere confirmata. Sanè res omnes, quòd agant, habent à Mente, quæ cùm ſummus, & primus opifex ſit, nihil in lucem prodire, nihil ne paulatim quidem moueri poteſt, niſi & ipſa ſuam adhibeat efficientiam. Quin immo quæcunque uita carent, & quę

vitam viuunt rationis expertem, in ſuis functionibus peragẽ dis ab huius primi agentis uirtute, actioneque ducuntur, nec ſine illius adminiculo in fines ſibi conſentaneos poſſunt proficiſci; uerùm non neceſſitate ad agendum compelluntur, ſed proprijs prædita naturis ſibi diuina prouidentia conceſſis pro illarum conditione ſuas ex ſe fundunt effectiones. Ex his intelligitur prouidentiam in agendo minimè prohibere, quin cætera ſuis muneribus fungantur, & præſertim quæ ratione utuntur, quæ ſic in mundo ſunt conſtituta, ut mediũ ordinem obtineant, ſortemque potiorem habeant inter omnia, quæ terra ſuſtinet, animalia. Neque à prouidentia noſtræ voluntatis libertas tollitur, aut aliquo modo impeditur, immo (quod Plato lib. 10. de Rep. planiſſimè aſſeuerauit) penitùs cuſtoditur, & confirmatur, ſiquidem diuina prouidentias ad nos accedens non aufert, ſed ſeruat proprias, quas nobis natura dedit, operationes: Non enim prouidentiæ eſt naturam peruertere, ut ait Dionyſius lib. de diuin. nom. inmo quà prouidentia eſt, uniuſcuiuſque naturæ eſt conſeruatrix. Itaque Dei his, quæ per ſe mouentur, tanquam libero motu mobilibus prouident, totiſque, & ſingulis, quemadmodum his, atque illis propriè conuenit, & quatenus eorum natura, quibus prouidetur, capere poteſt, totius benefica prouidentię munera prouidenter pro modo ſuo vnicuiq; diſtribuunt. Hinc Bardaſanes Syrus, qui Chaldæorum aſtronomię fuit omnium peritiſſimus. *Natura*, inquit, *homo naſcitur, alitur, creſcit, comedit, bibit, dormit, ſeneſcit, moritur, quæ omnia ſibi cum cæteris animalibus communia ſunt. Verùm bruta quidem cùm animalia ſint coniunctione procreata, naturæ impulſu feruntur omnino, ſoli autem homines cùm natura ducantur, mente etiam, atque ratione ualent, quaſi præcipuo quodam munere, quo non omnino natura reguntur, ac proinde fit, ut uaria pro uoluntate ſit hominum vitæ conditio.* Porrò nunquid homo in ſuis muneribus obeundis liberam habeat poteſtatem, quoniam res eſt maximi momenti, & à multis in dubium reuocata, non erit forſitan inutile, de hac re quid ſcripſerint Platonici, & Plato ipſe ſenſe-

rit, latiùs perſequi. Iamblichus dum reſpondet Porphyrio Ægyptios affirmanti omnia & ipſam noſtram uoluntatem ſtellarum conuerſionibus ſubieciſſe, inquit duas in homine animas reperiri, vt Mercurij monumenta teſtantur, unam à primo intelligibili prouenientem, ſuiq; creatoris uirtutem participantē; alterā à cœleſtium reuolutionibus impartitā, & ad vſum corporeorum inſtrumentorum accomodatā: Hanc eſſe animā ſenſualem, quę à cœlo data cœleſtium circuitus, & momenta ſequitur; Illā eſſe animā intellectualē, quæ ab intelligibili proficiſcens, omniſque naturæ excellens appellationem ineſt intelligibiliter, illiuſque beneficio à fato ſoluimur, & ad intelligibiles Deos aſcendimus. Non igitur putandum eſt uinculo neceſſitatis inexplicabili, quod fatum appellant, omnia conſtringi, ſiquidem anima proprio quodam principio eſt exornata, quo ad intelligibile ſeſe confert, & ab his, quæ oriuntur, & occidunt, diſcedens cum eo, quod eſt ſummè ens, ſummeque diuinum coniungitur. Et paulò poſt ſubiungit non omnia in natura fati eſſe poſita, ſed vnum principium eſſe datum animę, quod naturam excellit, & omnem hominis intelligentiam ſuperat, per quod & Dijs poſſumus copulari, & ordinem, diſpoſitionemque mundi ſuperare, & uitam æternam, Deorumque ſupercæleſtium gratiam nobis conciliare. Hoc eodem principio poſſumus nos à fato liberare, quandoquidem pars, quæ in nobis eſt præſtabilior, cùm ſuas edit functiones, anima noſtra ad præſtantiora reuocatur, & ab ijs uinculis, quibus erat in generatione alligata, ſoluitur omnino, ſoluta uerò hinc libera ad ſtatum honeſtiorem proficiſcitur, uitamque multò abſolutiorem pro hac imperfectiori commutat, & felix ad alterum cultum primo derelicto traducitur. Hæc, & alia dicit Iamblichus, quibus docet noſtram uoluntatem nullo conſtringi uinculo neceſſitatis, nec omnia fato eſſe ſubijcienda. Et ſanè ſi fatum in corporeis principijs ponitur, atque ea conditione fiunt omnia, atque ſe habent ſingula ex his conſtituta, qua principia illa coeunt, faciuntq; ac patiuntur, ut Democrito, Leucippo-

que placet, non omnia oportet fatali neceſſitate teneri, quoniam hæc corporis principia nullam poſſunt uim habere in ea, quæ corporis ſunt expertia, cuiuſmodi ſunt animi noſtri. His quidem cum corporibus in hac uita coniunctis propenſio afferri poteſt, ſed nequaquam neceſſitas. Ea eſt ratio, quia animorum ad varia propenſio ex cauſſis naturalibus poteſt exoriri, extirpari autem, & funditus tolli, ita ut qui ad aliquod uitij, uel uirtutis genus fuerit propenſus ab hoc uirtutis, uel uitij genere prorſus auocetur, non eſt poſitum in cauſſis naturalibus, ſed in uoluntate, ſtudio, & diſciplina. Rurſus cùm corporis incitamentis animus reluctetur, atque inſitos igniculos, ut ait Poſſidonius, reſtinguat, nemini dubium erit illum eſſe liberum, & à cuiuſuis dominatione ſolutum. Plotinus lib. vtrum ſtellæ aliquid agant ſcribit naturam nobis dediſſe, ut paſſionibus dominari poſſimus. Etenim præter id, quòd ob ipſam naturam corporis his malis ſumus circunuenti, Deus uirtutem largitus eſt liberam à ſeruitute. Et lib. de Fato aſſerit animam à corpore ſeparatam ſui ipſius dominam eſſe, atque liberam, & extra fati poteſtatem, quòd fatum, ut fert multorum philoſophorum opinio, eſt quædam neceſſitas ex cauſſarum corporearum cõſpiratione rebus illata, corpori autem infuſam minimè quidem habere in omnibus dominandi autoritatem, ſed propria ex uoluntate poſſe multa efficere, atque in pluribus dominari, ſi probè ſit inſtituta, in paucioribus, ſi dedita ſit uitijs: Nam duo poſſunt in fato ſpectari, principium, quod eſt Anima mundi, & id, quod ipſum complet, in actumque traducit, cauſſæ nimirum corporeæ: Cùm igitur Animæ mũdi, & aĩæ ratione utentis par ferè ſit cõditio, tantùm abeſt, ut hæc fati uinculis ſit deuincta, ut quin immo illius ſit principium, & poſſit ab illius legibus ſeipſam, & proprium animal uendicare: Sub illius tamen erit autoritate, ſi propriæ maieſtatis immemor animi prauitatibus indulgeat, corporique deſeruiat, quod ſua natura fato ſubijcitur. Plato aſſeuerat in Timæo, & lib. 10. de Rep. Deum animis noua corpora ingredientibus leges fatales præſcripſiſſe,

vt ipſe extra culpam exiſteret, ac ne ex harum ignoratione contra peccatum homines excuſationem quærerent; & addit uirtutem, rationemque liberam eſſe. Rurſus idem animā eſſe liberam, dominamque eorum, quibus perturbatur affectuum, ſponteq; ſua huc, & illuc agitari, atque ſuæ uoluntati acceptū ferre quòd uitijs ſuccumbat, & eiſdem dominetur, lib. 1. de legibus ita manifeſtè oſtendit. *Hic quoque ò Hoſpes cùm quis ſeipſum uincit, prima hæc uictoriarum, atque optima eſt victoria. Cùm autem quis à ſeipſo ſuperatur, hoc uerò ipſum eſt peſſimum, atque turpiſſimum. Hæc enim ita contingunt, tanquam contra nos ipſos bellum aliquod nobis inſit.* Et paulò poſt. *Scimus hoc autem, huiuſmodi affectus tanquam inſitos nobis neruos, quoſdamq; funiculos trahere nos antrorſum, retrorſumq; reuocare, ſicutq; ipſi contrarij ſibi ſunt, ita & nos trahere in contrarias functiones, vbi iam diſcreta ſit ſedes uitij, ac uirtutis. Dictat enim ratio unum eſſe tractationum eiuſmodi principatum, quem ſi quis ita conſectatur, ut ab eo nunquam deficiat, planè perſentiet modicas omnino eſſe uires affectionum, quæ in contrarias partes ſeſe trahere conentur, hunc uerò ductum, ac principatum rationis eſſe aſſerimus.* His Plato declarat homines nulla cogi neceſſitate, ut uitia amplectētur, & affectionibus perturbentur, ſed eſſe animæ cum ſeipſa certamen, adeſſeque illi victoriæ facultatem, ſi modò ad virtutem conſtituat inclinare. Hominem itaque ducit cupiditas ad ſeipſam, ex aduerſo idem trahitur ab iracundia, ipſe autem ſui iuris eſt, liberamque parendi, & repugnandi habet poteſtatē, quòd illius ſunt partes, ut aurigam ſe præbeat, agatque affectus, non ut agatur ipſe, trahaturque ab affectibus. Eandem ſententiam Plato comprobauit lib. 10. de legibus his uerbis. *Cauſſas autem qualitatis cuiuſpiam pendere Deus dimiſit à noſtris ſingulorum uoluntatibus, qua enim præditus cupiditate fuerit, qualiterue animo affectus, eo ferè ſemper modo, taliſq; vnuſquiſque noſtrum plerunque fieri conſueuit. Maior eſt igitur anima, & potentior, quàm ſit uirtus, & uitium, quandoquidē & ſua ipſius uoluntate, & ualida conſuetudine immutatur. Etenim cū diuinæ uirtuti commiſcetur, egregiè tranſit in egregiam illam uirtu-*

tem, ſanctiq́ cuiuſdam loci fit particeps, tota nimirum translata in locum alium potiorem; cùm uerò contraria uirtuti elegerit, ad cõtrarias quoque ſedes uitam ſuam traducit, atque conſtituit. His Plato nos monet penès animę poteſtatem eſſe meliorum rerum, peiorumq́ue optionem, hancq́ue afficere nos, ut uel huc, uel illuc inclinemus, atque uirtutem adamemus, & uitia perſequamur. In eandem ſententiam Maximus Tyrius ſerm. 25. *Deus*, inquit, *animum terreſtri corpori tanquam aurigam impoſuit currui, cuius & habenarum ſuſtinendarum, & incitandi uim eſſet habiturus: Huic enim aurigæ ſimul aurigandi artem, uiresq́ tradidit, ſimul etiam liberam abutendæ artis voluntatem dedit, qui poſtquam inſcenderit currum, & habenas acceperit, ſiquidem felix, beatusq́ animus ſit, memoriamq́ habeat ſe iuſſu Dei ſublatum eſſe in currum, ualideq́ aurigationem regere debere, nimirum habenas moderatur, regitq́ currum, & equorum temeritatem contundit. At equi diuerſum appetunt curſum, temereq́ huc, atque illuc rapiunt currum; hic ad petulantiam, ingluuiem, ac contumeliam; ille ad temeritatem, atque ferociam; alius uerò tarditatem, mollitiem, ſeruitutem, atque humilitatem ſectatur. Cuiuſmodi ſeditionibus currus diſtractus aurigam conturbat, & ſi vnius equorum uis potens uincat, fertur currus pro libidine equi victoris. Quo fit, ut uictrice interdũ petulantia, unà currus, & auriga rapiatur ad contumelias, cõuicia, impuritates, atq; alias nefarias, minimeq́ ſynceras uoluptates; interdum uerò dominante iracundia in multas, uariasq́ calamitates vterque feratur in præceps.* Ex his perſpicuum eſt noſtram volũtatem eſſe liberam, & dominam, atq; fato minimè trahi, quod cùm Chryſippus maximus fati amplexator intelligeret multa tenuiter, & argutè diſſeruit, ut explicaret quonam pacto omnia fato fiant, & ſit aliquid in nobis, horumq́ue ſenſus huiuſmodi eſt: Quanquam ratione quadam principali omnia cogantur, & fato ſint connexa, mentium tamen noſtrarum ingenia perinde fato ſunt obnoxia, ut ipſorum eſt proprietas. Enimuero ſi à natura ſalubriter, utiliterque fuerint conformata, & bonarum diſciplinarum munita præſidijs, omnem illam uim, quæ de fato extrinſecùs ingruit, abſque ulla offenſione

offenſione tranſmittunt. Sin verò ſunt inſcita, & rudia, nulliſque bonarum artium adminiculis fulta, etſi paruo, uel nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur, ſua tamen ui, & uoluntario impetu in aſſidua delicta, & errores præcipitãtur; idque ipſum ut ea ratione fiat, in cauſſa eſt neceſſaria rerum conſequentia, quæ fatum uocatur. Eſt enim quaſi fatale, & conſequens, ut mala ingenia peccatis, & erroribus non uacent. Iſtud uel hoc uno exemplo poteſt confirmari, ſi lapidẽ globoſum per ſpatia terræ prona, & dirupta iacias, cauſſam quidem, & initium pręcipitantiæ ei dederis, mox tamen ille præceps uoluetur, non quia tu id iam facis, ſed quoniam ſic figuræ ipſius uolubilitas eſt conſtituta. Eodem modo ratio, ordo, & neceſſitas fati genera ipſa, & principia cauſſarum mouet, impetus uerò conſiliorum, mentiumq; noſtrarum actiones que ipſas uoluntas cuiuſque propria; & animorum ingenia moderantur. Quamobrem à Pythagoreis ſic dicitur; Noſces homines ſpontaneas haurire calamitates; quaſi detrimẽta ſingulis à ſeipſis fiant, & ſuo impetu delinquant, & in incommoda ſua ruant ex ſua electione, & intentione. Ex his patere poteſt de Chryſippi quoque opinione quòd homines delinquant, uel uirtutem amplectentur non in fato, ſed in ipſorum poſitum eſſe uoluntate; Quapropter & ipſe Chryſippus negabat oportere audiri homines nocentes, qui in culpa, & maleficio depræhenſi fugiunt ad fati neceſſitatem, tanquam in aliquod fani asylum, & quæ peſſimè fecerunt, ea non ſuæ temeritati, ſed fato tribuẽda eſſe dicunt.

Cognitio diuina quamuis certa ſit, & immutabilis rebus tamen minimè affert neceſſitatem.

Cap. XXIX.

CÆterùm huc ſe ingerit difficultas; cùm Dij futuras omnes noſtræ uoluntatis motus ex initio habeāt perſpectos, antequam fiant, atque Deorum cognitio certa ſit, & immutabilis, uidetur, quòd Deorum notitia noſtræ uoluntati afferat neceſſitatem, quandoquidem illud effici neceſſariò oportet, quod firma, & ſtabili Deorum notitia fuit compræhenſum, cæteroquin ſi iſtud impediri poſſe aſſeueres, diuinam ſcientiam eſſe aut falſam, aut mutationis capacem cogeris confiteri, quod eſt turpiſſimum. *Ad hæc*, inquit Chalcidius in explanatione in Timæū, *dicendum eſt, quòd Deus ſciat quidem omnia; ſed unumquodque pro natura ſua ipſorum sciat neceſſitati quidem ſubiugatum; ut neceſſitati obnoxium, anceps uerò, ut quòd ea ſit natura præditum, cui conſilium uiam pandat. Neque enim ita ſcit ambigui naturam Deus, vt quòd incertum, & neceſſitate conſtrictum: ſic enim falletur, & neſciet; ſed ita vt pro natura ſua uerè dubium ſciat. Quid ergo dicimus? Deum ſcire omnia, ſcientiamq́; eius ex æternitate ſolidari: Porrò quæ ſciuntur, partim diuina eſſe, & immortalia, partim occidua, & ad tempus: Immortalium rerum ſubſtantiam fixam, & ſtabilem fore; mortalium mutabilem, & dubiam, aliasq́; aliter se habentem ob naturæ inconſtantiam. Ergo etiam scientia Dei de diuinis quidem, quorum eſt certa, & neceſſitate perpetua munita felicitas, certa, & neceſſaria ſcientia eſt, tam propter ipſius scientiæ certam compræhenſionem, quàm pro eorum, quæ ſciuntur, ſubſtantia. At uerò incertorum neceſſaria quidem ſcientia, quòd incerta ſint, & in euentu ambiguo poſita. Nec enim poſſunt aliter eſſe, quàm eſt natura eorum, ipſa tamen in utramque partem poſſibilia sunt potiùs, quàm neceſſitatibus ſubiugata. Non ergo etiam dubia ex initio rigidè diſpoſita, atque decreta ſunt, niſi fortè idipſum, quòd incerta eſſe, & ex ancipiti euentu pendere debeant.*

Quare

Quare quòd animæ quoque hominis natura talis ſit, ut interdum ad virtutem ſe applicet, interdum ad malitiam præponderet, perinde vt corpus modò ſoſpitati, modò ægritudini proximum, fixum planè eſt, & decretum ex origine. Quis porrò malus ſit futurus, aut bonus, neque decretum, neque imperatum. Propterea'q́, leges, magiſteria, deliberationes, exhortationes, reuocationes, inſtitutiones, nutrimentorum certa obſeruatio, laus, uituperatio, quæq́, his ſimilantur; quia rectè uiuendi optio penes nos eſt. Hæc, & alia Chalcidius, ex quibus intelligi poteſt, quòd etſi diuina cognitio ſit neceſſaria, naturam tamen ſingulis diſtributam haudquaquã deſtruit, ſed utique ſeruat. Nec ſequitur, ut quod à Dijs eſt cognitum, fiat neceſſariò, quoniam ſicut Dei aliquem eſſe quodpiam facturum proſpiciunt, ita eum uel uoluntariè, ac liberè, uel alio quouis modo facturum præuident. Neque quoniam id Dij norunt, ob eam cauſſam eueniet neceſſariò, ſed quoniam contingentem habet naturam, atque ancipitẽ, finem talem omnino, uel talem obtinebit. Quapropter diuina ſcientia non eſt aut falſa, aut commutabilis, quia erunt, quæcunque à Dijs cognita ſunt futura, illa tamen ſeruata natura, quæ rebus quibusque ſiue neceſſarijs, ſiue contingentibus eſt indita. Nam ſi erit, quod Deus præuidit, utique liberè faciam, quod liberè me facturum ille præuidit. Itaque omnia, quæ fortuna, caſu, natura, & uoluntate fiunt, vnà cum cauſſis, à quibus proueniunt, & modis, quibus conficiuntur, ſubſtant prouidentiæ, & à Dijs planè cognoſcuntur, ea tamen lege, ut nec propriæ actiones tollantur, nec peculiares naturæ deſtruantur. Et licèt Deus unico, atque ſimpliciſſimo intuitu omnia cognoſcat, non tamen omnia eadem natura uoluit eſſe donata, eodemq; modo effectus omnes de ſuis cauſſis prodire, ſed rarò, frequenter, & ſemper; nec omnia ſanxit pari pacto adminiſtrari. Cæterùm quamuis futura contingentia cadant in Deorum cognitionem, attamen hæc certa eſt, & neceſſaria, quoniam cognitionum differentiæ non ſolùm ex natura rerum, quæ ad cognoſcendum proponuntur, ſunt accipiendæ; ſed uel etiam multò magis (Iamblicho aſſeue-

tante)

râte)ex natura cognoſcentium poſſunt deduci,adeo quòd no titia exiſtat illius conditionis, cuius eſt uis ipſa cognoſcens, ceu quod per eſſentiam æternum eſt,atque diuinum,æternè, atque diuinè cuncta comprehendat, & quod humanum eſt omnia humanè percipiat. Et profectò quicquid cognitione accipitur, non ſecundum ſui uim, ſed potiùs pro uirtutis co gnoſcentis facultate comprehendi perbellè fuit à Boethio lib.4. de conſ. phil. declaratum, nam unà,& eadem corporis rotunditas aliter uiſui, aliter tactui proponitur cognoſcenda, ille eminus totam ſimul accipit rotunditatem, hic partes tantùm apprehendit, & niſi contingat magnitudinem, ſuo nequit fungi munere. Figura præterea non uno, & eodem modo uenit ſub ſenſum, imaginationem, & intelligentiam, ſiquidem ſenſus iudicat figuram in ſubiecta materia conſtitutam; hanc uis imaginandi percipit à materia abſolutam. Intellectus uerò vniuersè perpendit nulla materiæ labe contaminatam. Itaque cùm omne, quod eſt in Dijs, reperiatur in ipſis modo quodam ſingulari,& naturæ diuinæ congruente, manifeſtum eſt eorum cognitionem non eſſe pro ratione rei caducæ,,& labilis, ſed ſecundum rationem propriæ ipſorum naturæ præſtantiſsimæ,& inauditæ nobis prorſus inexploratam. Quare tametſi res, quæ Deorum intelligentia percipiuntur, partibiles ſint, mutabiles, contingentes, aut indefinitæ, illa tamen eſt impartibilis, immutabilis, neceſſaria, aut definita, Deique res intelligunt diuiſibiles indiuiſibiliter; quæ in tempore ſunt, ſine tempore; non neceſſarias neceſſariè; mutabiles immutabiliter; & longè omnia melius, quàm ordo ipſorum,& ratio poſtulet. Nec profectò dicendum eſt pariter cum rerum fluxu concurrere Deorum intelligentiam quoniam uti nos docuit Timæus,& Parmenides ſcriptum reliquit, nihil eſt apud Deos, quod ſit præteritum, uel futurũ, quodque hoc uerbo erit, uel fuit ſignificetur,ſed omnia ſunt apud ipſos præſentia,& in uno æuo inſtante collocata, ipſiq; omnia indeclinabili, immutabilique cognitione compræhẽdunt, tametſi multa ex his habeant naturam mutabilem, & contin-

contingentem. Neque hoc abſonum uideatur alicui, quandoquidem nos quoque res, quæ offeruntur ad intelligendũ, modò præſtantiùs, quàm propriæ ipſarum naturę conueniat, modò deteriùs, quandoque verò pariter intelligimus: Nam quãdo noſtram intelligentiam occupamus in his rebus, quæ ſunt ſingulares, & multis mutationibus obnoxiæ, haſque intelligimus ſub ratione vniuerſa, & ſempiterna, patet cognitionem re, quæ cognoſcitur, eſſe præſtantiorem, quoniam id, quod eſt ſingulare, & mutabile, ſine conditionibus indiuiduantibus, & ſine vlla mutatione à nobis cognitione accipitur. Cùm verò noſtræ mentis naturam contemplamur, neceſſariò intelligentia, & res, quæ cadit in intelligentiam, ſibi prorſus conſentiunt. Quòd ſi de Mentibus à materia ſolutis conſideremus, cognitio ea re, quæ cognoſcitur, eſt longè, multumque deterior. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, quid eſt abſoni, ſi Dij cognoſcant contingentia, & nobis incerta potiore, quàm ipſorum contingentium naturæ competat, modo? Præterea cùm multa nobis ſint comperta, quæ naturis inferioribus ſunt incognita, (etenim rationis expertia nequeunt vniuerſalis notionem apprehendere, quam probè ualent homines colligere per rationis diſcurſum ſingularibus inter ſe collatis, & in eis notata ſimilitudine, & diſſimilitudine) nihil eſt cur debeamus admirari, ſi quæ nos ambigua, & fallaci cognitione apprehendimus, hæc ſuperi clara, & firma intelligentia accipiant. Rurſus ſi non eſt abſurdum futuri cognitionem apud nos haberi ancipitem, & coniecturalẽ, quid erit incommodi eandem apud Deos nos longè omnes multùmque ſuperantes certam, & exploratam reperiri? Superi igitur ſcientiam illorum habent certam, quæ nobis ſunt incerta, uarijsque ſunt expoſita mutationibus.

tur, cùm tamen ſint æternæ, rationali ſemper annexæ, neque re ipſa ab illa diſiunctæ. Hæc explicatio tametſi probetur Ficino lib. 18. Theologiæ cap. 3. ea tamen ſi ad omnes animæ partes accommodetur, mihi ualdè uidetur dubia, quãdoquidem Plato nimis planè ſentit in Timæo ſolam animam, qua ratiocinamur, & intelligimus, à Deo opifice originem habere, reliquas autem animæ partes à Dijs minoribus; quod Plutarchus, Proclus, Alcinous, Chalcidius, & alij compertum habentes in eandem prorſus ſententiam verba Platonis ſunt interpretati, quæ ſunt. *Et diuinorum quidem ipſe eſt autor, mortalium verò generationem natis ſuis tradidit abſoluendam. Illi igitur ſuum imitati parentem, principiumq; animæ immortale ſuſcipientes animam ipſam mortali corpore clauſerunt, totumq; corpus animæ, quaſi vehiculum ſubdidere, atque in eo aliam animæ ſpeciem mortalem fabricauerunt, quæ grauibus, neceſſarijsq; perturbationibus afficeretur: Quarum prima foret voluptas eſca maximi mali; Dolor deinde fuga, impedimentumq; bonorum; Audacia præterea, metusq; conſultores amentes: accederet & implacabilis iracundia, ſpes etiam blanda, conciliatrixq; cum irrationali ſenſu, amoreq; omnium inuaſore: Illi ergo hæc miſcentes neceſſariò mortale genus compoſuerunt. Cæterùm ne diuinum vlla mortalium contagione, niſi quãtum ſumma neceſſitas cogeret, pollueretur, ſeorſum ab illo in alia corporis ſede mortale collocauerunt: atque à pectore caput ceruice, & collo interiecto ſeparauere: Quamobrem in pectore, & thorace mortale genus animæ poſuerunt.* Ex his maniféſtè perſpicitur Platonem opinari ſolam rationalem animæ partem eſſe diuinam, reliquas autem immortalitatis expertes; ac præterea exiſtimate animam eſſe ſubſtantia multiplicem, ſed non ſubſtantia vnam, & facultate multiplicem, vt Ficinus multis in locis conatur perſuadere. Porrò ſi quis putet rationem poſteriorem, qua fuit confectum animos in hæc corpora delabi, non eſſe improbandam ad propoſitam dubitationem dici poteſt Platonem; & Platonicos animam humanam in tres partes diuidere, in rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem, atq; hoc vnum velle optimatem, & rationis compotem Deum opifi-

opificem condidiſſe, reliquas verò, quæ mortalitate continē-tur, Deos minores adieciſſe. Itaque cùm Platonici in partitione, & enumeratione partium animæ vegetalem, & ſenſualem minimè comprehendant, neque nomine iracundiæ, & cupiditatis has facultates ſignificent, nō eſt dicendum ipſos ſentire eas interire à Dijs minoribus extructas, nam hæ quoque immortales ſunt, quippe quæ ad rationalem reuocātur, à qua re, & ſubſtantia non diuelluntur. His, & alijs de cauſſis quas nihil eſt opus in præſentia commemorare, ſentit autor ſecretioris ſecundum Ægyptios philoſophiæ, & rentur Platonici animas ad inferiora delabi, & terrenis corporibus coniungi, à quibus aiunt ipſas poſſe ſeparari, ſi contemplandi deſiderio inflammatæ hæc, quæ ſenſibus percipiuntur, cōtemnant, ab illiſque ad diuinorum operum rationes, & cauſſas ſe conuertant, atque in eiſdem Deum autorem ſpeculentur, & colant, nam in huiuſmodi contemplatione animus à corpore abducitur, & quaſi Deus quidam in caduco corpore efficitur. De hac animi à corpore auerſione, atque ad intelligibilia, & ad contēplationem conuerſione quoniam nobilis locus extat apud Porphyrium lib. 1. de abſt. ab eſu carnium, hic nequaquam tacitus eſt mihi relinquendus. *Similes ſumus*, inquit, *hominibus, qui in externas nationes profecti non ſolùm domeſticis omnibus exturbati ſunt, verùm etiam à regione externa ꝑturbationibus, consuetudinibus, et inſtitutis peregrinis ita fuerunt imbuti, vt ad ea propenſi admodum ſint. Quemadmodum igitur ſi quis inde domum redire vellet, non modò iter facere ſtuderet, ſed quò à ſuis admitteretur, daret operam quoque, vt deponeret quicquid ab externis accepiſſet, eaq; ſibi in memoriam reuocaret, quæ cùm antea haberet, fuerat oblitus, ſine quibus admitti à domeſticis nullo modo poſſet. Simili modo etiam nos debemus, ſi hinc ad ea, quæ verè nobis domeſtica, ac propria ſunt, reuersuri sumus, ea omnia deponere, quæ ex mortali natura contraximus, vnà cum affectu, quo ea proſequimur, ex quo etiam effecta diſſenſio fuerat; beataq;, & æternæ ſubſtantiæ recordari; ac ſumma ope niti, vt ad ea, quæ colore, & omni qualitate carent, redeamus duabus vſi me-*

ditationibus, vna, qua materiale omne, ac mortale abijciamus, altera, qua reditum faciamus, & ad illa contrario modo aſcendamus, quàm ad hæc deſcenderamus. Intellectuales enim ſubſtantiæ eramus, & adhuc ſumus, puræ ab omni ſenſu, & irrationali natura. Coniuncti uerò cum ſenſu fuimus ex impotentia æternæ noſtræ conſuetudinis cum intelligibili, & ex ea potentia, quam ad ea, quæ hic ſunt, habebamus. Omnes enim, quæ cum ſenſu, & corpore operantur, facultates in anima noſtra in intelligibili non manente progerminarunt, non ſecus atque ex prauitate terræ accidit, quæ ſæpe cùm tritici ſemen admiſerit, lolium producit. Vnde ſi ad priſtinum ſtatum redire uelimus, primùm pro uiribus ſtudendum nobis eſt, ut à ſenſu, & imaginatione, & ab ea, quæ ex his conſequitur, irrationabili qualitate, & ipſius affectibus, quatenus generationis neceſſitas patitur, recedamus. Deinde corrigenda ea ſunt, quæ ſpectant ad intellectum, pace, & quiete ipſi conciliata ex bello, quod cum irrationali natura habet. Vt non ſolùm de intellectu, & intelligibili audiamus, ſed etiam quantum in nobis eſt, eius contemplatione fruentes, & in incorpoream naturam redacti uerè cum illo, & non falsò cum his, quæ corporibus cognata ſunt, uitam traducamus. Exuendi igitur multis tunicis ſumus, uiſibili hac, & carnali, tum illis, quibus intrinſecùs induti fuimus, quæ cutaneis, ac pelliceis proximè ſuccedunt: ut ita expediti, ac nudi ingredi ſtadium ualeamus olympia animæ decertaturi. Et paucis interpoſitis ſubiungit hæc. *Duo fontes hic ad uinculum animæ fluunt, ex quibus ipſa quaſi letali potione repleta in propriarum contemplationum obliuionem inducitur, uoluptas uidelicet, & dolor: quos quidem tum ſenſus, quæq; ſenſu fit perceptio, tum quæ ſenſum conſequuntur imaginationes, et opiniones & memoriæ præparant: ex quibus excitati affectus, omniſq; irrationalis vis craſſior effecta animam deorſum trahunt, & à proprio amore erga id, quod eſt, prorſus auertunt. Ab his igitur pro viribus recedendum eſt. Receſſio autem affectibus, qui ex ſenſibus, & irrationali ui exiſtunt, excluſis procuranda eſt. Senſus autem ex ijs fiunt, quæ uel uidentur, uel audiuntur, uel quæ guſtatu, aut olfactu, aut tactu percipiuntur. Senſus enim quaſi metropolis quædam alienigenæ affectuũ coloniæ in nobis exiſtit. Ecce enim, per ſingulos*

gulos

gulos ſenſus inſpice, quantum perturbationum fomentum in nos influat: partim ex certaminis equorum, & athletarum, aut laſciuarũ ſaltationum ſpectatione; partim ex fœminæ contemplatione; quæ eſcam irrationali facultati exhibentes eam uarijs inieƈtis laqueis vndequaque inuadunt, ac ſubiugant. Omnibus enim his ob rationis expertem vim debacchans anima facit, vt exiliant, ut clament, ut vociferentur homines, dum externa turbatio inflammatur ab interna, quam ſenſus incenderat. Quæ uerò per auditum accidunt ex quibusdam clamoribus, & ſonis turpiloquij, & conuicij adeo turbulentæ agitationes sunt, ut plerique quaſi penitùs è ratione exceſſerint, furentes ferantur: alij contrà effæminati omnibus modis immutentur. Suffimentorum autem uſus, aut odorati flatus, qui amores ſui amatoribus uenditant, quantum irrationalem in anima uim ſaginent, nemo eſt, qui neſciat. Nam de turbationibus, quæ guſtatu admittuntur, quid dicere quiſpiam poſſet? præſertim cùm inde duplex uinculum inneƈtatur, alterum, quod ex guſtatione ab affeƈtibus impinguatur: alterum, quod ex alienorum corporum repletione graue, ac ualidum redditur. Venena enim, ut quidam medicus dixit, non sola ea ſunt, quæ à medicina conficiuntur: ſed eſculenta etiam, & potulenta, quæ quotidie in alimentum ſumi conſueuerunt: ex quibus letifera vis magis in animam diffunditur, quàm ex uenenis pernicies ad diſſolutionem corporis inferatur. Iam uerò taƈtus animam ferè corpoream reddentes ſæpe efficiunt, ut in inarticulatos ſonos quaſi iam corpus euadat. Ex quibus quidem omnibus memoriæ, imaginationes, & opiniones colleƈtæ innumero perturbationum grege concitato, timorum, cupiditatum, irarum, amorum, illecebrarum, dolorum, æmulationum, ſolicitudinum, atque huiuſmodi perturbationum morbis animam replent. Atque iccirco ab his expurgari difficile eſt, magnusq; admodum labor eſt ſuſcipiendus, ſi ab horum meditatione uolumus liberari, cùm die, noƈtuq; neceſſaria nos ſenſuum coniunƈtio ubique comitetur. Unde quanta in nobis facultas eſt, procul ab huiuſcemodi locis eſt abeundum, in quibus etiam inuitus in multitudinem incidat, neceſſe eſt. Cauendaq; in primis pugna, quæ ex horum experientia exoritur, & ſi uis, etiam viƈtoria: ampleƈtendaq; inexercitatio, quæ ab inexperientia exiſtit. Sic etenim

audimus

audimus ueterum famam ante uirorum, Pythagoreorum,& ſapientum: quorum alij deſerta maximè loca ſibi ad habitandum deligebant: alij in vrbibus quidem, ſed in templis tamen, & fanis uitam traducebant, ad quæ turbæ omnis aditus præcludebatur. Plato uerò habitare Academiam uoluit, quæ præterquàm quòd loco erat deſerto, & procul ab vrbe, parùm etiam ſalubris, ut aiunt, habebatur. Quin nonnullos quoque fuiſſe conſtat, qui deſiderio internæ contemplationis, ne diſtraherentur, oculis ſibi non pepercerunt. Quòd ſi quis ſimul cum hominibus uerſando, ac ſenſus ſuis affectionibus explendo, ſe futurum eſſe impatibilem putat, is & ſe, & alios, quibus id perſuaſerit, decipit; neque aduertit ſe eo ipſo, quòd à multitudine nō alienatur, maximè in affectuum poteſtatem ceſſiſſe. Hæc omnia Porphyrius, ex quibus planè intelligitur corporis, ac ſenſuū voluptatem eſſe hominibus peſtem maximè capitalem, quippe cuius pernicioſa ſuauitate nos nimiū deliniti auertimur à rerum intelligibilium contemplatione, ob quam animus à corpore quodammodò diſiungitur, atque ad cœleſtia, & domeſtica reuertitur. Ex his omnibus illud non eſt difficile animo complecti, quod à Porphyrio proditum in com. Odyſ. in ore omnium ferè Platonicorum uerſatur, animas ſcilicet per Cancrum deſcendere in generationem, & ad ſuperiora per Capricornum aſcendere. Enimuero iſtud, quod multis fuit à nobis in præſentia expoſitum, perſpicuè ſignificatur, quando quidem Cancer creditur Lunæ domicilium generationi præſidentis, & in Capricorno ſedes Saturni collocatur, ad quem pertinet contemplatio, cuius beneficio anima, vt dictum eſt, à corpore ſeiungitur, & cęleſtibus ſedibus aliquo modo reſtituitur. Hæc quoque Zoroaſtrem arbitror ſignificaſſe, cùm animam eſſe alatam commiñiſceretur, & con fractis alis labi in corpus præcipitem, & rurſus plumeſcentem, denuoque in uolucrem conuerſam ſuperna repetere.

Prouidetia

Prouidentia minimè prohibet, quin ſingula ſuas perficiant operationes. Cap. XXVIII.

DE his quidem hactenus dictum ſit. Regrediendum uerò eſt iam unde digreſſi ſumus de prouidentia differentes. Illud cauendum eſt, ne quis in mundo ita ſtatuat prouidentiam, ut à rebus actiones propriæ auferantur. Iamdiu enim ex hominum animis extirpata eſt illorum opinatio, qui licèt prouidentiæ omnia rectè tribuant, falſi tamen ſunt nihil nō fato fieri quoque opinantes, & peculiares rerum ſingularium effectiones deſtruentes. Iſti eam eſſe naturam fati protulerunt, ut ipſius iuſſis omnia neceſſariò obtemperent, quandoquidem ſit cauſſa potentiſſima, per quam ineuitabili neceſſitate fiunt ea, quæ fiunt, & eo modo, quo fiunt. Verùm ex hac opinione plurima errata ſcaturiunt: Primùm nulla eſſet dignitas mundi, ſi ex partibus ſua ui nihil omnino agentibus, ſed ſolummodò patientibus tantùm coaceruaretur. Deinde nec Deus rectè primum agens diceretur, ſi nullæ poſt ipſum eſſent cauſſæ efficientes. Adhæc rerum contingentiæ euerterentur; omnes laudes, vituperationes, & quæ his proxima ſunt, tollerentur; vis liberæ uoluntatis in officijs, in delictis, in actionibus moralibus, & politicis deſtrueretur; & denique electio in uitijs, & uirtutibus diuino munere nobis data labefactaretur. Sed hæc pluribus non ſunt à nobis vituperanda; quòd aduerſus ea diſputat Plotinus lib. de Fato, & ab Alexandro Aphrodiſienſi multa doctè & eruditè, ut aſſolet, lib. de Fato differuntur, quæ omnia ab Oenomao, & Diogeniano Philoſophis clariſſimis contra Chryſippum diſputantibus fuere confirmata. Sanè res omnes, quòd agant, habent à Mente, quæ cùm ſummus, & primus opifex ſit, nihil in lucem prodire, nihil ne paulatim quidem moueri poteſt, niſi & ipſa ſuam adhibeat efficientiam. Quin immo quæcunque uita carent, & quę

uitam

vitam viuunt rationis expertem, in ſuis functionibus peragẽdis ab huius primi agentis uirtute, actioneque ducuntur, nec ſine illius adminiculo in fines ſibi conſentaneos poſſunt proficiſci; uerùm non neceſſitate ad agendum compelluntur, ſed proprijs prædita naturis ſibi diuina prouidentia conceſſis pro illarum conditione ſuas ex ſe fundunt effectiones. Ex his intelligitur prouidentiam in agendo minimè prohibere, quin cætera ſuis muneribus fungantur, & præſertim quæ ratione utuntur, quæ ſic in mundo ſunt conſtituta, ut mediũ ordinem obtineant, ſortemque potiorem habeant inter omnia, quæ terra ſuſtinet, animalia. Neque à prouidentia noſtræ voluntatis libertas tollitur, aut aliquo modo impeditur, immo (quod Plato lib. 10. de Rep. planiſſimè aſſeuerauit) penitùs cuſtoditur, & confirmatur, ſiquidem diuina prouidentia ad nos accedens non aufert, ſed ſeruat proprias, quas nobis natura dedit, operationes. Non enim prouidentiæ eſt naturam peruertere, ut ait Dionyſius lib. de diuin. nom. immo quà prouidentia eſt, uniuſcuiuſque naturæ eſt conſeruatrix. Itaque Dei his, quæ per ſe mouentur, tanquam liberò motu mobilibus prouident, totiſque, & ſingulis, quemadmodum his, atque illis propriè conuenit, & quatenus eorum natura, quibus prouidetur, capere poteſt, totius benefica prouidentię munera prouidenter pro modo ſuo vnicuiq; diſtribuunt. Hinc Bardaſanes Syrus, qui Chaldæorum aſtronomię fuit omnium peritiſſimus. *Natura*, inquit, *homo naſcitur, alitur, creſcit, comedit, bibit, dormit, ſeneſcit, moritur, quæ omnia ſibi cum cæteris animalibus communia ſunt. Verùm bruta quidem cùm animalia ſint coniunctione procreata, naturæ impulſu feruntur omnino, ſoli autem homines cùm natura ducantur, mente etiam, atque ratione ualent, quaſi præcipuo quodam munere quo non omnino natura reguntur, ac proinde fit, ut uaria pro uoluntate ſit hominum vitæ conditio.* Porrò nunquid homo in ſuis muneribus obeundis liberam habeat poteſtatem, quoniam res eſt maximi momenti, & à multis in dubium reuocata, non erit forſitan inutile, de hac re quid ſcripſerint Platonici, & Plato ipſe ſenſe-

rit, latiùs perſequi. Iamblichus dum reſpondet Porphyrio Ægyptios affirmanti omnia & ipſam noſtram uoluntatem ſtellarum conuerſionibus ſubieciſſe, inquit duas in homine animas reperiri, vt Mercurij monumenta teſtantur, unam à primo intelligibili prouenientem, ſuiq; creatoris uirtutem participantẽ; alterã à cœleſtium reuolutionibus impartitã, & ad vſum corporeorum inſtrumentorum accomodatã: Hanc eſſe animã ſenſualem, quę à cœlo data cœleſtium circuitus, & momenta ſequitur; Illã eſſe animã intellectualẽ, quæ ab intelligibili proficiſcens, omniſque naturæ excellens appellationem ineſt intelligibiliter, illiuſque beneficio à fato ſoluimur, & ad intelligibiles Deos aſcendimus. Non igitur putandum eſt uinculo neceſſitatis inexplicabili, quod fatum appellant, omnia conſtringi, ſiquidem anima proprio quodam principio eſt exornata, quo ad intelligibile ſeſe confert, & ab his, quæ oriuntur, & occidunt, diſcedens cum eo, quod eſt ſummè ens, ſummeque diuinum coniungitur. Et paulò poſt ſubiungit non omnia in natura fati eſſe poſita, ſed vnum principium eſſe datum animę, quod naturam excellit, & omnem hominis intelligentiam ſuperat, per quod & Dijs poſſumus copulari, & ordinem, diſpoſitionemque mundi ſuperare, & uitam æternam, Deorumque ſupercæleſtium gratiam nobis conciliare. Hoc eodem principio poſſumus nos à fato liberare, quandoquidem pars, quæ in nobis eſt præſtabilior, cùm ſuas edit functiones, anima noſtra ad præſtantiora reuocatur, & ab ijs uinculis, quibus erat in generatione alligata, ſoluitur omnino, ſoluta uerò hinc libera ad ſtatum honeſtiorem proficiſcitur, uitamque multò abſolutiorem pro hac imperfectiori commutat, & felix ad alterum cultum primo derelicto traducitur. Hæc, & alia dicit Iamblichus, quibus docet noſtram uoluntatem nullo conſtringi uinculo neceſſitatis, nec omnia fato eſſe ſubijcienda. Et ſanè ſi fatum in corporeis principijs ponitur, atque ea conditione fiunt omnia, atque ſe habent ſingula ex his conſtituta, qua principia illa coeunt, faciuntq; ; ac patiuntur, ut Democrito, Leucippo.

que placet, nõ omnia oportet fatali neceſſitate teneri, quoniam hæc corporis principia nullam poſſunt uim habere in ea, quæ corporis ſunt expertia, cuiuſmodi ſunt animi noſtri. His quidem cum corporibus in hac uita coniunctis propenſio afferri poteſt, ſed nequaquam neceſſitas. Ea eſt ratio, quia animorum ad varia propenſio ex cauſſis naturalibus poteſt exoriri, extirpari autem, & funditus tolli, ita ut qui ad aliquod uitij, uel uirtútis genus fuerit propenſus ab hoc uirtutis, uel uitij genere prorſus auocetur, non eſt poſitum in cauſſis naturalibus, ſed in uoluntate, ſtudio, & diſciplina. Rurſus cùm corporis incitamentis animus reluctetur, atque inſitos igniculos, ut ait Poſſidonius, reſtinguat, nemini dubium erit illum eſſe liberum, & à cuiuſuis dominatione ſolutum. Plotinus lib. vtrum ſtellæ aliquid agant ſcribit naturam nobis dediſſe, ut paſſionibus dominari poſſimus. Etenim præter, id, quòd ob ipſam naturam corporis his malis ſumus circunuecti, Deus uirtutem largitus eſt liberam à ſeruitute. Et lib. de Fato aſſerit animam à corpore ſeparatam ſui ipſius dominam eſſe, atque liberam, & extra fati poteſtatem, quòd fatum, ut fert multorum philoſophorum opinio, eſt quædam neceſſitas ex cauſſarum corporearum cõſpiratione rebus illata, corpori autem infuſam minimè quidem habere in omnibus dominandi autoritatem, ſed propria ex uoluntate poſſe multa efficere, atque in pluribus dominari, ſi probè ſit inſtituta, in paucioribus, ſi dedita ſit uitijs: Nam duo poſſunt in fato ſpectari, principium, quod eſt Anima mundi, & id, quod ipſum complet, in actumque traducit, cauſſæ nimirum corporeæ: Cùm igitur Animæ mũdi, & aĩæ ratione utentis par ferè ſit cõditio, tantùm abeſt, ut hæc fati uinculis ſit deuincta, ut quin immo illius ſit principium, & poſſit ab illius legibus ſeipſam, & proprium animal uendicare: Sub illius tamen erit autoritate, ſi propriæ maieſtatis immemor animi prauitatibus indulgeat, corporique deſeruiat, quod ſua natura fato ſubijcitur. Plato aſſeuerat in Timæo, & lib. 10. de Rep. Deum animis noua corpora ingredientibus leges fatales præſcripſiſſe,

ut

vt ipſe extra culpam exiſteret, ac ne ex harum ignoratione contra peccatum homines excuſationem quærerent; & addit uirtutem, rationemque liberam eſſe. Rurſus idem animā eſſe liberam, dominamque eorum, quibus perturbatur affectuum, ſponteq; ſua huc,& illuc agitari, atque ſuæ uoluntati acceptū ferre quòd vitijs ſuccumbat, & eiſdem dominetur, lib. 1. de legibus ita manifeſtè oſtendit. *Hic quoque ò Hoſpes cùm quis ſeipſum uincit, prima hæc uictoriarum, atque optima eſt victoria. Cùm autem quis à ſeipſo ſuperatur, hoc uerò ipſum eſt peſſimum, atque turpiſſimum. Hæc enim ita contingunt, tanquam contra nos ipſos bellum aliquod nobis inſit.* Et paulò poſt. *Scimus hoc autem, huiuſmodi affectus tanquam inſitos nobis neruos, quoſdamq; funiculos trahere nos antrorſum, retrorſumq; reuocare, ſicutq; ipſi contrarij ſibi ſunt, ita & nos trahere in contrarias functiones, vbi iam diſcreta ſit ſedes uitij, ac uirtutis. Dictat enim ratio unum eſſe tractationum eiuſmodi principatum, quem ſi quis ita conſectatur, ut ab eo nunquam deficiat, planè perſentiet modicas omnino eſſe uires affectionum, quæ in contrarias partes ſeſe trahere conentur, hunc uerò ductum, ac principatum rationis eſſe aſſerimus.* His Plato declarat homines nulla cogi neceſſitate, ut uitia amplectētur, & affectionibus perturbentur, ſed eſſe animæ cum ſeipſa certamen, adeſſeque illi victoriæ facultatem, ſi modò ad virtutem conſtituat inclinare. Hominem itaque ducit cupiditas ad ſeipſam, ex aduerſo idem trahitur ab iracundia, ipſe autem ſui iuris eſt, liberamque parendi, & repugnandi habet poteſtatē, quòd illius ſunt partes, ut aurigam ſe præbeat, agatque affectus, non ut agatur ipſe, trahaturque ab affectibus. Eandem ſententiam Plato comprobauit lib. 10. de legibus his uerbis. *Cauſſas autem qualitatis cuiuſpiam pendere Deus dimiſit à noſtris ſingulorum uoluntatibus, qua enim præditus cupiditate fuerit, qualiterùe animo affectus, eo ferè ſemper modo, talisq; vnusquisque noſtrum plerunque fieri conſueuit. Maior eſt igitur anima, & potentior, quàm ſit uirtus, & uitium, quandoquidē & ſua ipſius uoluntate, & ualida conſuetudine immutatur. Etenim cū diuinæ uirtuti commiſcetur, egregiè tranſit in egregiam illam uirtu-*

tem, ſanctiq; cuiuſdam loci ſit particeps, tota nimirum translata
in locum alium potiorem; cùm uerò contraria uirtuti elegerit, ad cõ
trarias quoque ſedes uitam ſuam traducit, atque conſtituit. His Pla
to nos monet penès animę poteſtatem eſſe meliorum rerum,
peiorumque optionem, hancque afficere nos, ut uel huc, uel
illuc inclinemus, atque uirtutem adamemus, & uitia perſe-
quamur. In eandem ſententiam Maximus Tyrius ſerm. 25.
Deus, inquit, *animum terreſtri corpori tanquam aurigam impoſuit*
currui, cuius & habenarum ſuſtinendarum, & incitandi uim eſſet
habiturus: Huic enim aurigæ ſimul aurigandi artem, uiresq; tradi-
dit, ſimul etiam liberam abutendæ artis voluntatem dedit, qui poſt-
quam inſcenderit currum, & habenas acceperit, ſiquidem felix, bea
tusq; animus ſit, memoriamq; habeat ſe iuſſu Dei ſublatum eſſe in
currum, ualideq; aurigationem regere debere, nimirum habenas mo
deratur, regitq; currum, & equorum temeritatem contundit. At
equi diuerſum appetunt curſum, temereq; huc, atque illuc rapiunt
currum; hic ad petulantiam, ingluuiem, ac contumeliam; ille ad te-
meritatem, atque ferociam; alius uerò tarditatem, mollitiem, ſerui
tutem, atque humilitatem ſectatur. Cuiuſmodi ſeditionibus currus
diſtractus aurigam conturbat, & ſi vnius equorum uis potens uin-
cat, fertur currus pro libidine equi victoris. Quo fit, ut uictrice in-
terdũ petulantia, unà currus, & auriga rapiatur ad contumelias, cõ
uicia, impuritates, atq; alias nefarias, minimeq; ſynceras uoluptates;
interdum uerò dominante iracundia in multas, uariasq; calamita-
tes vterque feratur in præceps. Ex his perſpicuum eſt noſtram
volũtatem eſſe liberam, & dominam, atq; fato minimè trahi,
quod cùm Chryſippus maximus fati amplexator intelligeret
multa tenuiter, & argutè diſſeruit, ut explicaret quonam pac
to omnia fato fiant, & ſit aliquid in nobis, horumque ſenſus
huiuſmodi eſt: Quanquam ratione quadam principali om-
nia cogantur, & fato ſint connexa, mentium tamen noſtra-
rum ingenia perinde fato ſunt obnoxia, ut ipſorum eſt pro-
prietas. Enimuero ſi à natura ſalubriter, utiliterque fuerint
conformata, & bonarum diſciplinarum munita præſidijs, om
nem illam uim, quæ de fato extrinſecùs ingruit, abſque ulla
offenſione

offenſione tranſmittunt. Sin verò ſunt inſcita, & rudia, nulliſque bonarum artium adminiculis fulta, etſi paruo, uel nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur, ſua tamen ui, & uoluntario impetu in aſſidua delicta, & errores præcipitãtur; idque ipſum ut ea ratione fiat, in cauſſa eſt neceſſaria rerum conſequentia, quæ fatum uocatur. Eſt enim quaſi fatale, & cõnſequens, ut mala ingenia peccatis, & erroribus non uacent. Iſtud uel hoc uno exemplo poteſt confirmari, ſi lapidẽ globoſum per ſpatia terræ prona, & dirupta iacias, cauſſam quidem, & initium præcipitantiæ ei dederis, mox tamen ille præceps uoluetur, non quia tu id iam facis, ſed quoniam ſic figuræ ipſius uolubilitas eſt conſtituta. Eodem modo ratio, ordo, & neceſſitas fati genera ipſa, & principia cauſſarum mouet, impetus uerò conſiliorum, mentiumq; noſtrarum actiones que ipſas uoluntas cuiuſque propria, & animorum ingenia moderantur. Quamobrem à Pythagoreis ſic dicitur; Noſces homines ſpontaneas haurire calamitates; quaſi detrimẽta ſingulis à ſeipſis fiant, & ſuo impetu delinquant, & in incommoda ſua ruant ex ſua electione, & intentione. Ex his patere poteſt de Chryſippi quoque opinione quòd homines delinquant, uel uirtutem amplectentur non in fato, ſed in ipſorum poſitum eſſe uoluntate; Quapropter & ipſe Chryſippus negabat oportere audiri homines nocentes, qui in culpa, & maleficio depræhenſi fugiunt ad fati neceſſitatem, tanquam in aliquod fani asylum, & quæ peſſimè fecerunt, ea non ſuæ temeritati, ſed fato tribuẽda eſſe dicunt.

Cognitio diuina quamuis certa ſit, & immutabilis rebus tamen minimè affert neceſſitatem.

Cap. XXIX.

CÆterùm huc ſe ingerit difficultas; cùm Dij futuras omnes noſtræ uoluntatis motus ex initio habeāt perſpectos, antequam fiant, atque Deorum cognitio certa ſit, & immutabilis, uidetur, quòd Deorum notitia noſtræ uoluntati afferat neceſſitatem, quandoquidem illud effici neceſſariò oportet, quod firma, & ſtabili Deorum notitia fuit compræhenſum, cæteroquin ſi iſtud impediri poſſe aſſeueres, diuinam ſcientiam eſſe aut falſam, aut mutationis capacem cogeris confiteri, quod eſt turpiſſimum. *Ad hæc*, inquit Chalcidius in explanatione in Timæū, *dicendum eſt, quòd Deus ſciat quidem omnia; ſed unumquodque pro natura ſua ipſorum ſciat neceſſitati quidem ſubiugatum, ut neceſſitati obnoxium, anceps uerò, ut quòd ea ſit natura præditum, cui conſilium uiam pandat. Neque enim ita ſcit ambigui naturam Deus, vt quòd incertum, & neceſſitate conſtrictum: ſic enim falletur, & neſciet; ſed ita vt pro natura ſua uerè dubium ſciat. Quid ergo dicimus? Deum ſcire omnia, ſcientiamq́; eius ex æternitate ſolidari: Porrò quæ ſciuntur, partim diuina eße, & immortalia, partim occidua, & ad tempus: Immortalium rerum ſubſtantiam fixam, & ſtabilem fore; mortalium mutabilem, & dubiam, aliasq́; aliter ſe habentem ob naturæ inconſtantiam. Ergo etiam ſcientia Dei de diuinis quidem, quorum eſt certa, & neceſſitate perpetua munita felicitas, certa, & neceßaria ſcientia eſt, tam propter ipſius ſcientiæ certam compræhenſionem, quàm pro eorum, quæ ſciuntur, ſubſtantia. At uerò incertorum neceßaria quidem ſcientia, quòd incerta ſint, & in euentu ambiguo poſita. Nec enim poſſunt aliter eſſe, quàm eſt natura eorum, ipſa tamen in utramque partem poſſibilia ſunt potiùs, quàm neceſſitatibus ſubiugata. Non ergo etiam dubia ex initio rigidè diſpoſita, atque decreta ſunt, niſi fortè idipſum, quòd incerta eſſe, & ex ancipiti euentu pendere debeant.*

Quare

Quare quòd animæ quoque hominis natura talis ſit, ut interdum ad virtutem ſe applicet, interdum ad malitiam præponderet, perinde vt corpus modò ſoſpitati, modò ægritudini proximum, fixum planè eſt, & decretum ex origine. Quis porrò malus ſit futurus, aut bonus, neque decretum, neque imperatum. Proptereaq́; leges, magiſteria, deliberationes, exhortationes, reuocationes, inſtitutiones, nutrimentorum certa obſeruatio, laus, uituperatio, quæq́; his ſimilantur; quia rectè uiuendi optio penes nos eſt. Hæc, & alia Chalcidius, ex quibus intelligi poteſt, quòd etſi diuina cognitio ſit neceſſaria, naturam tamen ſingulis diſtributam haudquaquã deſtruit, ſed utique ſeruat. Nec ſequitur, ut quod à Dijs eſt cognitum, fiat neceſſariò, quoniam ſicut Dei aliquem eſſe quodpiam facturum proſpiciunt, ita eum uel uoluntariè, ac liberè, uel alio quouis modo facturum præuident. Neque quoniam id Dij norunt, ob eam cauſſam eueniet neceſſariò, ſed quoniam contingentem habet naturam, atque ancipitẽ, finem talem omnino, uel talem obtinebit. Quapropter diuina ſcientia non eſt aut falſa, aut commutabilis, quia erunt, quæcunque à Dijs cognita ſunt futura, illa tamen ſeruata natura, quæ rebus quibusque ſiue neceſſarijs, ſiue contingentibus eſt indita. Nam ſi erit, quod Deus præuidit, utique liberè faciam, quod liberè me facturum ille præuidit. Itaque omnia, quæ fortuna, caſu, natura, & uoluntate fiunt, vnà cum cauſſis, à quibus proueniunt, & modis, quibus conficiuntur, ſubſtant prouidentiæ, & à Dijs planè cognoſcuntur, ea tamen lege, ut nec propriæ actiones tollantur, nec peculiares naturæ deſtruantur. Et licèt Deus unico, atque ſimplicisſimo intuitu omnia cognoſcat, non tamen omnia eadem natura uoluit eſſe donata, eodemq́; modo effectus omnes de ſuis cauſſis prodire, ſed rarò, frequenter, & ſemper; nec omnia ſanxit pari pacto adminiſtrari. Cæterùm quamuis futura contingentia cadant in Deorum cognitionem, attamen hæc certa eſt, & neceſſaria, quoniam cognitionum differentiæ non ſolùm ex natura rerum, quæ ad cognoſcendum proponuntur, ſunt accipiendæ, ſed uel etiam multò magis (Iamblicho aſſeue-

tante)

contingentem. Neque hoc abſonum uideatur alicui, quandoquidem nos quoque res, quæ offeruntur ad intelligendũ, modò præſtantiùs, quàm propriæ ipſarum naturę conueniat, modò deteriùs, quandoque verò pariter intelligimus: Nam quãdo noſtram intelligentiam occupamus in his rebus, quæ ſunt ſingulares, & multis mutationibus obnoxiæ, haſque intelligimus ſub ratione vniuerſa, & ſempiterna, patet cognitionem re, quæ cognoſcitur, eſſe præſtantiorem, quoniam id, quod eſt ſingulare, & mutabile, ſine conditionibus indiuiduantibus, & ſine vlla mutatione à nobis cognitione accipitur. Cùm verò noſtræ mentis naturam contemplamur, neceſſariò intelligentia, & res, quæ cadit in intelligentiam, ſibi prorſus conſentiunt. Quòd ſi de Mentibus à materia ſolutis conſideremus, cognitio ea re, quæ cognoſcitur, eſt longè, multumque deterior. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, quid eſt abſoni, ſi Dij cognoſcant contingentia, & nobis incerta potiore, quàm ipſorum contingentium naturæ competat, modo? Præterea cùm multa nobis ſint comperta, quæ naturis inferioribus ſunt incognita, (etenim rationis expertia nequeunt vniuerſalis notionem apprehendere, quam probè ualent homines colligere per rationis diſcurſum ſingularibus inter ſe collatis, & in eis notata ſimilitudine, & diſſimilitudine) nihil eſt cur debeamus admirari, ſi quæ nos ambigua, & fallaci cognitione apprehendimus, hæc ſuperi clara, & firma intelligentia accipiant. Rurſus ſi non eſt abſurdum futuri cognitionem apud nos haberi ancipitem, & coniecturalẽ, quid erit incommodi eandem apud Deos nos longè omnes multùmque ſuperantes certam, & exploratam reperiri? Superi igitur ſcientiam illorum habent certam, quæ nobis ſunt incerta, uarijſque ſunt expoſita mutationibus.

De Fato multorum, atque ipſius Platonis opinio explicatur. Cap. XXX.

QVONIAM de fato ſæpius eſt facta mentio, de hoc ſi pauca diſſeruero, haudquaquam uidebor temere ad hæc ipſa de prouidentia diſputans diuertiſſe. His accedit, quòd hæc omnis contemplatio ſic prouidentiæ diſquiſitioni eſt coniuncta, ut mihi naturam prouidentiæ perſcrutanti nullo pacto ſit oculis conniuentibus prætereunda. Fatum eſſe aliquid omnium hominum cõſenſus maximo eſt argumento: Omnes ferè homines in hoc conſpirarunt fatum eſſe aliquid, multaque fatò fieri. Quarè de Anaxagora multi ſunt uehementer admirati, qui fatum eſſe nomen uanum, & commentitium affirmans hanc omnium conſenſu aſſertam, atque defenſam opinionem fuit calumniatus. Quid uerò ſit fatum, alij aliter ſenſerunt. Pleriquè ueterum ad ipſum uniuerſi principium aſcendentes ab ipſo tãquam à perenni fonte cuncta defluere prodiderunt, atque illud primam cauſſam dicentes per omnia ſe diffundere, & nõ ſolùm mouere, uerùm etiam ſingula efficere ſunt arbitrati. Itaque hanc primam cauſſam fatum exiſtimantes fatum uocitarunt cauſſam potentiſſimam, à qua non modò quæ natura conſtant, ſed etiam noſtræ cogitationes moueantur, non aliter quàm in animali ſingulæ partes agitentur, non quidem à ſeipſis, ſed ab eo, quod in quolibet animali obtinet principatum. Democritus, Leucippus, Thales, & alij fatum poſuerunt in principijs corporeis, quorum motu, ac mutuis impulſibus, & complicationibus ſingula dixerunt generari, atque ea conditione fieri, & ſe habere, qua hæc principia ineunt ſocietatem, atque efficiunt, & patiuntur; quin immo noſtros impetus, affectionesque tales eſſe crediderunt, quales illa efficiunt. Aſtrologi corporum cœleſtium reuolutionem omnia complectentem, motuque, & uarijs ſtellarum tam fixarũ,

quàm

quàm uagarum habitibus, configurationibusque ſingula per agentem fatum iudicarunt, & prædictionibus per cœleſtia factis freti ſingula inde fieri, & pendere exiſtimarunt. Opinio hæc fluxit à Chaldæis, & Ægyptijs, qui fatum in aſtris cóſtituerunt, indeque ad nos permanare ſunt opinati; ex quibus nonnulli fatum precibus uel ad Deum, uel ad alia quædam aſtra effuſis permutari poſſe autumarunt, quippe qui arbitrarentur eſſe quoſdam cultus, qui ſidera irata placando ipſa poſſint beneuola, & propitia reddere. Seneca in queſt. nat. fatum exiſtimauit eſſe rerum omnium, actionumque neceſſitatem, quam nulla uis rumpere poteſt. Eiuſdem opinionis fuit uniuerſa Stoicorum familia, ad quorum ſententiam cùm Chryſippus lib. 4. de prouidentia diſputaret, fatum eſſe deſcripſit ſempiternam, & indeclinabilem cauſſarum ſeriem, & cathenam uoluentem ſeſe, & implicantem per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta, connexaque eſt, per quã ea, quæ ſunt, eſſe, & quæ facta ab illa ortum duxiſſe, & quæ facienda originem inde habitura. Huic Poſſidonius tertium à Ioue locum tribuit, nam primum Ioui, ſecundum Naturę, & tertium Fato conceſſit. Horum opinio cum prima de fato ſententia à nobis explicata conuenit, quòd ab uno principio cũctis infuſo ſingula per rationes ſeminales putat proficiſci, quod Strato maximè comprobauit: diſſentit uerò, quia totam efficientiam minimè tribuit huic principio, uerùm præterea multas cauſſas inducit efficientes, quæ tamen eo modo ſuas effundunt efficacitates, quo mouentur à primo, quæque deinceps ſeſe conſequuntur, atque ita connectuntur, ut à prioribus poſteriores neceſſariò deducantur; & quicquid agunt, neceſſariò efficiant; atque ideo ad omnem ubique euentum cunctæ ſimul inter ſe complicatæ, quàmuis aliter alibi, conſpirant. Mercurius in ſerm. ad Aſclepium. *Fatum*, inquit, *eſt complexio cauſſarum ſingulis temporaliter diſtribuens, quæ ſacramento Deorum cœleſtium ſunt præordinata.* Et haud multò poſt, *fatum*, ait, *eſt neceſſitas omnium, quæ geruntur, ſemper ſibi catenatis nexibus iuncta: Hæc autem eſt aut effectrix rerum, aut Deus*

ſummus, uel ab ipſo Deo. Addit fatum, & neceſſitatem indiuiduo glutino connecti; itaque illud rerum omnium initia parere; hanc, quæ pendent ex fati primordijs, ad effectum cogere; ambo uerò hæc ordinem conſequi, id eſt temporis diſpoſitionem, qua res perficiuntur. Et paucis interiectis hæc ſubdit. *Fatum, neceſſitas, ordo uel maximè Dei nutu ſunt effecta qui mundum gubernat ſua lege, & ratione diuina. Ab his ergo omne velle, & nolle diuinitus eſt auerſum; nec etenim ira commouentur, nec gratia flectuntur, ſed ſeruiunt neceſſitati rationis æternæ, quæ æternitas eſt inauerſibilis, immobilis, & inſolubilis. Fatum itaque eſt, quod ueluti iacto ſemine futurorum omnium ſuſcipit prolem; ſequitur neceſſitas, qua ad effectum omnia ui compelluntur; tertius eſt ordo ſeruans textum earum rerum, quas fatum, neceſſitasq́; diſponit.* Academici de fato uariè diſputarunt. Apuleius lib. de Platonis dogm. fatũ definiuit legẽ diuinam, per quam ineuitabiles Dei cogitationes, atque incœpta compleantur. Adiecit quicquid prouidentia perficitur, fato expleri; & quicquid fato terminatur, prouidentia ſuſcipi. Plutarchus lib. 1. de placit. philoſophorum ſcriptis ſanciuit Platonem uoluiſſe fatũ eſſe rationem ſempiternam, legemque æternam uniuerſalis naturæ. Idem lib. de fato ſcripſit fatum dupliciter intelligi, vel cùm ſubſtantiam eius animo intuemur, uel cùm ex ijs, quæ agit, & eſſe id, & cuiuſmodi uim habeat recognoſcimus. Si ſecundo modo intelligatur, fatum deſcribitur, quòd ſit diuina oratio, quam tranſiri ſit nefas, & quæ à cauſſa pendeat nulli impedimento obnoxia. Iſtud fatum Plato multis in locis ſignificauit, nam ipſum appellauit in Phędro legem Adraſtiæ, hoc eſt legem ineuitabilem, & minimè mutabilẽ: lib. 10. de Rep. Lacheſis orationem, id eſt legem diuinã, qua præteritis, & præſentibus connectuntur futura: & in Timæo leges, quas de uniuerſi natura Deus dixit animabus, hoc eſt leges, quæ mundi naturam ſequuntur, & quibus omnia mundana reguntur. Sin uerò altero modo fatum accipiatur, eſt Anima mundi in tres partes quaſi diſtributa, ſcilicet in portionem inerrantem, in eam, quæ uagari putatur, & in tertiã

ſubluna-

ſublunarem, quarum ſuprema dicta eſt Atropos, proxima Clotho, infima Lacheſis: Atropos, quòd prima ſphæra in nulla ſit deflexione: Clotho, propter uariè perplexam, tortuoſámque uertiginem, qua proueniunt ea, quæ diuerſæ naturæ deuius motus importat: Lacheſis uerò, quaſi ſortita id muneris, ut omnia prædictarum opera, effectusque ſuſcipiat. Hæc omnia Chalcidius digna putauit, quibus aſſentiretur, & quæ de græcis conuerſa in ſua explanatione in Timæum adſcriberet. Ab alijs hæc recepta eſt opinatio, fatum eſſe quãdam Animæ mundi diſpoſitionem, qua cuncta per cœlorum conuerſiones ordine ſuo, ſuoque loco, & tempore digeruntur, explicantur, diſponuntur, atque adminiſtrantur. Hinc illud definiunt immutabilem in Anima mundi rerum omnium diſpoſitionem; aiuntque iſtud Platonẽ lib. 10. de Rep. ſignificaſſe, quo in loco fuſum conſtans ex adamante finxit in genibus Deæ neceſſitatis conuerti, huius autem Deæ tres filias eſſe Lacheſim, Clothon, & Atropon, quæ æquali inter ſe interuallo in throno ſedentes ueſtibus albis, & capite coronato ad Syrenum harmoniam canunt; Lacheſis præterita, præſentia Clotho, & Atropos futura, atque ſimul cum matre fuſum cum intermiſſione quadam temporis manibus circunagunt. Dea neceſſitatis eſt Anima mundi, quam ea de cauſſa uocat hoc nomine, quoniam ſingula eo ordine, quo ſunt à ſummo rerum opifice inter ſe diſpoſita, conſeruat, nec quicquam ſinit illius leges adeo tranſgredi, quin mox in leges regrediatur. Fuſum adamãtinum ſignificat cœlos, qui ſunt Animæ mundi inſtrumenta in hanc inferiorem uniuerſitatem ſuas uires exercentis; hos autem ipſa mundi Anima genibus, hoc eſt infima ſui parte motrice, qua cuncta caduca diſpenſát, & adminiſtrat, adeo facilè, & expeditè in orbem conuertit, ut interim ſuprema parte intellectuali ſuauiſſimo contẽplationis gaudio perfruatur. Tres parcæ uel tria tempora nobis indicant præteritum, præſens, & futurum, quibus omnia reuoluũtur, oriuntur, & occidunt, quæcunque fato ſubijciuntur; uel oſtendunt tria munera Animæ mundi ad res fatales

pertinentia

pertinentia, Lacheſis illud, quo ſortes, formæque uiuendi animabus inſeruntur in hęc corpora deſcenſuris; Clotho id, quo in actum uiuendi inſitæ uitæ ſortes certo ordine traducuntur, atque in effectum explicantur; & Atropos illud, quo uitæ iam in actum traductæ quodam progreſſu indeclinabili ad ineuitabilem uſque terminum conſeruantur, atque cuſtodiuntur. Parcæ finguntur in ſolio ſedentes paribus interuallis diſtare inter ſe, quoniam iuſta eſt inter fata, & per fata diſtributio. Eædem candida ueſte ſunt amictæ, & capite coronatæ, quia natura ipſarum eſt integra, inuiolata, & ſummo cũ imperio. Syrenes ſunt octo cæleſtium ſphærarum toni, atq; ex his tonis reſultans harmonia. Cantare eſt ſtatutis temporibus ſingula eo modo digerere, quo diuina Mens digerenda eſſe proſpexit: atque hinc fit, ut Parcæ temporanea tantùm cantibus proſequantur. Poſtremò quod inquit Plato Parcas fuſum, hoc eſt cœlos intermiſſione quadam temporis circum agere, id ita exponendum eſt, vt Plato non quidem ſentiat fata in his, quæ cœlorum amplexu coercentur, gubernandis vllam facere proprij officij intermiſſionem, & modò regere, modò non regere, ſed innuat ipſa fata partim res ipſas tractare, partim minimè. Enimuerò Anima mundi in ſua puritate conſiſtens ſic mortalia adminiſtrat, ut illis nequaquam commiſceatur; nec præterea cuncta illius imperio ſubijciuntur, ſed naturalia tantùm; nam quę ſupra naturam ſunt cõſtituta, & pertinent ad puram, liberamque rationem, atque ad diuinam intelligentiam, fugiunt fati poteſtaté, & ad Mentis prouidentiam fato ſuperiorem miro quodam ordine reuocantur. Hinc in Politico ſcriptum eſt quæ ſunt in mundo aliàs in prouidentiam cadere: non quòd certis temporum curriculis uiciſſim fiat inter fatum, & prouidentiam commutatio in his adminiſtrandis; ſed quoniam eorum, quæ gignuntur, alia fato ſubijciuntur, & alia ad leges prouidentiæ conformãtur. Porrò animæ compotes rationis quandoque ſunt ſub fato, & quandoque ſub prouidentia; nam cùm ab hoc corpore ſeparatę uitam uiuant contemplationi deditam, ſunt penitus

liberæ,

liberæ, ſui iuris, & ſoli prouidentiæ ſubijciuntur; cùm uerò neglecta contemplatione ad imaginationem inclinãt, & propenſio ad corpus inualeſcit, ad fatum iam accedunt, & à libertate recedunt. Iam uerò corpori coniunctæ ipſius corporis fato ſunt expoſitæ, minuſq; retinent priſtinæ libertatis. Quòd ſi corporis uoluptatibus indulgeant, & in affectibus corporis omnino confirmentur, fato penitus obruuntur, & omni libertate ſpoliantur. Animas eatenus fatum ſubire, quatenus ſeſe induunt in hæc corpora oſtendit Timæus dicens animã tunc primùm leges fatales didiciſſe, cùm fuerunt uehiculis adiunctæ, ex quibus fati exordia trahuntur. Cæterùm quæcunque fato adminiſtrantur, prouidentia quoque gubernantur; at quæ ueniunt in prouidentiam, non omnia agnoſcunt fati autoritatem, quoniam iſtud in ijs nullum habet imperiũ, quæ pertinẽt ad intelligibilia; in illius nãque ditione ea duntaxat poſitã ſunt, quæ naſcuntur, & occidunt, ac cœlorum cõuerſionibus ſubijciuntur. Itaque dixerunt Academici non aliter fatum à prouidentia dependere, quàm calor pendeat à lumine, quia quæ facit calor, fiunt à lumine; nec uiciſsim retrò cõmeat, ut quæ à lumine efficiuntur, à calore proficiſcantur, quoniã lumen eſt maioris uirtutis, & magis perfectæ dignitatis. Itaque Cleanthes non eſt audiendus, qui putauit quæ ex prouidentiæ autoritate, fataliter quoque prouenire, nec tamen quæ fataliter, ex prouidentia. Nec præterea Chryſippus, & Apuleius rectè ſentiunt, qui uoluerunt fatum, & prouidentiam eſſe æqualis ambitus; nec quodpiam fato fieri, quod fugiat prouidentiam; & contrà nihil cadere in prouidẽtiam, quod fato non expleatur. Porrò Platonici tametſi affirment fatum eſſe generalem quandam diſpoſitionem à cauſſa immutabili proficiſcentem, nihilominus cùm uideant res, in quibus fatum ius ſuum oſtendit, uarijs permutationibus eſſe ſubiectas, & cauſſas medias nequaquam eſſe perpetuas, fatum poſſe mutari unà cum rerum, cauſſarumque imbecillitate aſſeueranter conſtituunt, ut ſæpe quod eſſet futurum, non efficiatur uel hominis conſilio, atq; induſtria, uel aliqua naturæ

cauſſa

